B. c. 363 | 63a

Gregorius, P.

syntaxis

mit:

„Comment. in

prolegomena"

Bc 363

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-119201541511222-14991959X-14/fragment/page=0002

Pierre Grégoire

Syntaxes artis mirabilis

T. [1.]

SYNTAXES
ARTIS MIRABILIS,
IN LIBROS SEPTEM DIGESTAE.

Per quas de omni re proposita, multis & propè infinitis rationibus disputari aut tractari, omniúmque summaria cognitio haberi potest.

Authore Petro Gregorio Tholosano I. V. Doctore, & in academia Cadurcensi publico iuris ciuilis professore.



LVGDVNI,
APVD ANT. GRYPHIVM.

M. D. LXXV.

Cum Priuilegio Regiæ maiestatis.


LEHNS - BÜCHEREI
IN ERXLEBEN

OMNIPOTENTI, IMPERATORI VNIVERSI, & imperatorum Domino, vnico & in trinitate ineffabili, viuenti Deo, suo liberalissimo plusquam mœcenati. Petrus Gregorius.

PRæterierunt *aliquot anni, adorande Domine, quibus talentum, quod nullis præcedentibus meritis largitus mihi es, oportuit me negotiationi commodæ concedere: requirebas usuras & accessiones, si quas feciſſem sorti. Non potui certè rationes calendarij, tibi qui omnia nosti, subtrahere: conscius mihi tamen, quod non eâ qua decebat diligentia sim in eo negotiatus, ausus non fui statim ubi petijsti, exiguum illud quod apud me erat peculiolum promere, uix ad sortem exsoluendam sufficiens. Verùm cogi-*

tanti mihi, & opes quibus abundas, cum ea qua premor inopia conferenti, subit, te non tam lucrum quod postulas, quàm animũ & laborem debentis perpendere. Quamobrem & ea spe firmatus, ad suspendendas initas iam rationes, próque interusurio, hoc opusculum breue quidem, sed ni fallor perquam reipublicæ utile, tuo numini obtuli, reliqua omnia si annuas, redditurus.

***

CHRISTIANISSIMO
REGI GALLIARVM ET
Poloniæ, Henrico III. P. Gre=
gorius academiæ Cadur=
censis professor
publicus.

DVO sunt, Christianissime Rex, quibus ciuilis societas stabilita & semper conseruata est, ratio & legitima coactio: illa, leges peperit, ista, leges conseruauit: vt contrà, parum est arma foris esse, nisi sit consilium domi, & quod ratio non suadet, vltio imperat. Atque & artes imperatoriæ, duæ, in legibus optimis condendis, & in armis legitimè pertractandis: vtraq;, pacem finem habet, & pacis quietísque desideriũ, reges

constituit. Bella suscipiuntur, vt in pace viuatur, & leges in pace colimus, vt belli causas præscindamus. Idcirco optimi cuiusque benè institutæ reipublibæ, olim imperatores & principes, non solum in pugnam educere acies, sed & bonis probísque disciplinis instructi, exercitum continere, & regere nouerant, quibus eruditis & æquissimis orationibus & legibus, concitabant, exacuebant, retrahebant & continebant, militum enses & animos, subditorum & hostium mentes: vt non tam vi armata, quàm iusto & accommodo consilio, oppida, ciuitates prouincias, & regna ipsa subigerent. in hoc pręstabant cæteris Romani, hominúmque benè imperantium soli, laude vt plerũque digni habiti sunt. Et quidem, vi vel robore exercitus, hostem aggredi, brutorum ferocium moribus peculiare & proprium, quæ

furo

furore iræ in ipso impetu concitantur: At, cum hoste, consilio congredi, Vulcaniisque se tegere armis, expugnare & debellare superbos, prudentissimi & absolutæ virtutis principis est. Vt merito gloria immortali donandi & celebrandi sint, qui regum ingenia, humanioribus & iuris vtriusque disciplinis, ab ineũte ætate imbuunt, & cum Martis laboribus, in illorum institutione Palladis artes maritant & conferunt. Quæ omnia simul hæc, imperatori optimo necessaria. Is enim qui solum sanguinolentas nouerit temerè instruere turbas & legiones, vix est, quin non in Phallaridis declinet crudelitatis infamiam: vt is, qui solum studiis liberalibus & legibus componendis omnem laborem impendit, rarum est, si non in Nini declinet otium: et si, propter impiorum audaciam, quæ araneorum te-

las violant, ni compescantur, non imperio priuetur. Ex vtroque autem, admirandus & optimus nascitur & desideratur àpopulis princeps. Quo factum, vt triplex ista tua Gallia, prudentissimo & magnanimo principe, fratre tuo Rege Christianissimo orbata, tui desiderio qui aberas aliquandiu ingemuerit: spem statam, in tam turbato statu, & incendio tam latè propagato seditionum, in te vno post Dei opem habens: tanquam in eo, qui disciplinæ suæ militaris, vsque adeò in ante actis iuuenilibus annis testimonium celebre dederit, & qui vsque adeò bonos, peritos, & prudentes honorauerit, seséque ita eruditum & probum exhibuerit, vt à Sarmatis siue Polonensibus in comitiis, multorum hominum, & tribuum millibus cõstipatis, solus electus dignúsque habitus sit, ad bar-

bara

bara & indomita vicina regna conculcanda. Cæperat quidem, Polonia te hoc anno frui, & iam cogitabant hostes eius, de pace & tributi oblatione, sed reuocauit te non minore cum tui laude regnum natale, quàm Polonia inde elegisset. Potuit enim vltra id quod eras dignus eo regno, te regni splendor prouocare. Sed quod in regnũ natale redieris, eximium magis quippiam fecit, non enim te reduxit viuendi in otio vel splendore voluptas, sed afflictarum rerum commiseratio, patriæ pietas, & proximorum labor immensus: vt curares, componeres, & restitueres, ea quæ non nisi à principe bonis legibus & disciplinis, & militari arte instructo, curari, componi, & restitui queunt. Adest itaque talis nobis, & talia nobis proximè futura speramus, & pro iis Deo gratias & tibi agimus: te omnes non vt re-

gem solùm, sed vt sapientissimum pastorem populorum, afflicti expectabant: te, vt patrem amplectuntur & venerantur, tibi sua quotidie & magna certè & quæ habent cuncta, offerunt, deuouent, & consecrát. Ego quoque, qui non habeo, quo possim ad modulum lætitiæ animi mei grátulari, qui non eas opes quas tibi reliqui offerunt possideo, thesauri mei quasdam primitias exhibeo, Cõpendiũ inquam cognitionis rerũ vniuersarum, per syntaxes cõpositũ. Cui accedet, Dei & tuis auspiciis, statim alia secunda pars, qua syntaxes omnium artium, si Deus voluerit & si vixero, producam cum commentariis vtriusque partis, additáque magna epitome iuris vtriusque, in qua plusquã decem annos laboraui. Quæ vt spero, poterunt rempublicá aliqua in parte iuuare, erũtque tibi & posteris, testes locupletissimi otij

nostri

nostri literarij,& quietis à lectionibus iuris ciuilis quotidianis impetratæ.omnia enim, me vtilitati reipublicæ, & meipsum, debere arbitror: vt siquando in tuo comitatu Cadurcensi, & academia eius, in qua publicus dictus sum professor iuris Cæsarei, à prælectionibus vacare contingat aliqua iusta causa, tempus illud vacuum ab hoc labore non sit, eo semper viuens animo, vt vllam nõ sinam præterire occasionem, ex qua putem meo labore, vtilitatem communi societati accessurã, quin si eam præstare possim non experiar: sed eo lubentius, quòd sciam certusque sim, nos ante oculos laborare principis & imperatoris optimi, qui merita cuiusque distinguere nouit. Quamobrem imperator Christianissime, interim hoc munusculum pro pignore mei obsequij erit & gratulationis dum cætera parturio.

turio, ab eo inquam oblatum, qui certus est, principem omnibus instructum artibus imperatoriis, non tantùm milites strenuos, sed & eos qui in pertractandis artibus & legibus versantur, ad reipublicæ vtilitatem, gratos habere.

Deus in cuius potestate cor regũ est, tuam Christianissime princeps, mentem & manum, ad promouendã suam gloriam, & imperij tui fœlicitatem dirigat. Lugduni prid. Non. Nouembris.

1574.

Elenchus singulorum librorum & capitum.

LIB. I.

Cap. 1. De cognitionis distinctione. pagina.1.
2 De methodo & gradibus, quibus perficitur cognitio.p.3.
3 De præcautione obseruanda in cognitione habenda, disputatione instituẽda, in quęstionibus & earũ solutionibus.p.6.
4 De generali rerum consideratione.p.8.
5 De accidente generaliter.p.11.
6 De secunda rerum consideratione, per materiam & formam.p.13.

LIB. II.

Cap. 1. De artis speculo p.15.
2 De vsu & praxi speculi.p.20.
3 De exordio.p.ea.
4 De tribus dicendi partibus.p.21.
5 De quæstione in genere.p.22.
6 De quæstione vtrum vel an.p.24.
7 De quęstione quid, quis, quæ, quod sit.
8 Modi essendi in alio, ex variis authoribus in vnum schema ordinati. p.27.
9 De finitione.p.29.
10 De notis veræ & optimæ finitionis. P.32.

11 De

11 De specie.p.33.
12 De differentiis.p.35.
13 De proprio.p.36.
14 De accidente.p.37.
15 De individuo.p.38.
16 De tertia quæstione quotuplex, & de loco diuisionis.p.39.
17 De quarta quæstione, de quo vel ex quo.p.42.
18 De quinta quæstione à quo & per quē. p.44.
19 De sexta quæstione, iuxta vel secundū quid.p.45.
20 De septima quæstione cuius.p.46.
21 De quæstione octaua, propter quid. p.47.
22 De nona quæstione quare.p.47.

LIB. III.

Cap. 1. De nomenclatura relationum distinguentium.p.48.
2 De differentia & concordantia.p.48.
3 De contrarietate vel contrario.p.54.
4 De principio.p.57.
5 De causis.p.61.
6 De medio.p.66.
7 De fine.p.68.
8 De maiori, minori, & æquali.

LIB. IIII.

Cap. 1. De bonitate.p.71.

2. De

2 De magnitudine.p.77.
3 De duratione vel perseuerantia. p. 80.
4 De potentia.p.83.
5 De cognitione.p.89.
6 De appetitu & voluntate.p.105.
7 De virtute.p.108.
8 De veritate.p.111.
De gloria.pa. 114.

LIB. V.

Cap. 1. De accidentiũ summaria distinctione.p.117.
2 De quantitate.p.120.
3 De relatione, vel ad aliquid.p.123.
4 De actione.p.126.
5 De passione.p.130.
6 De vbi.p.132.
7 De positione, vel situ.p.135.
8 De quando.p.137.
9 De habitu.p.139.
De qualitate.p.140.

LIB. VI.

Cap. 1. De ratione methodi præsentis, & de classe substantiæ in vniuersum.p.145.
2 De Dei nominibus.p.149.
3 De distinctione veri Dei ab idolis. p. 151.
4 De Theologia. p.154.

5 De

5. De epitome totius Theologiæ. 159.
6 De Theologiæ vinculo, dilectione, & diuinis præceptis. p. 160.
7 Reliqua de præceptis, & quędam axiomata de Deo & Theologia. p. 165.
8 De sacramentis p. 167.

LIB. VII.

Cap. 1. De angelorum diuisione. p. 170.
2 De officiis bonorũ angelorum. p. 174.
3 De dæmonibus siue angelis malis, & nominibus eorum quibusdam. p. 175.
4 De distinctione dæmonum, & de quibusdam naturis eorum.
5 Dæmonum quorundam qui sibi Dei cultum vsurpauerant nomenclatura. p. 178.
6 Alia distinctio Dæmonum, ex operibus eorum. p. 181.
7 De magia vetita & potestate dæmonum. p. 182.
8 De definitione & distinctione magiæ. 185.

FINIS.

SYNTAXEΩN ARTIS MIRABILIS,

LIBER PRIMVS.

De cognitionis distinctione. CAP. I.

DVæ sunt cognoscendi species, quibus, veluti lumine quodã prælucente, abdita & incognita manifesta fiunt. Atque in summa, Omnis cognitio erit, vel diuina vel humana. Diuina est, quæ à diuino numine fluit: vel mediatè vel immediatè.

Mediatè, illa est fluens, quæ est ad nos delata per Angelos, siue bonos seu malos: per prophetas, per sacramenta, per reuelationes: quæ quidẽ fiunt per mysteria, insomnia, per visiones.

Porrò visionum, aliæ sunt sensibiles, aliæ imaginariæ, aliæ intellectuales.

Sensibiles sunt, quando aliquod videtur exterius, & intelligitur significatum eius: Sicuti dum Daniel vidit inscribi parieti ab

Angelo, Mane, Thetel, Phares, & mysteriũ intellexit, in prophetia Danielis.

Imaginariæ, quãdo in vi imaginatiua formantur imagines virtute diuina, ad aliquid significandum occultum: vt quãdo Daniel vidit quatuor animalia ascendentia de mari, & mysterium agnouit. Daniel. 7.

Intellectuales sunt, quando sine imaginibus & figuris visiones apparent.

Immediatè fluens à Deo cognitio, est illa quæ infunditur Angelis superioris ordinis, Prophetis: Lex à Deo Mosi in monte Sinai concessa: Et euangeliun ab ore Dei Domini nostri IESV CHRISTI traditũ: Potestque huiusmodi dici, ratio & vis intelligendi insita animæ: De qua scriptum, signatum est super nos, lumen vultus tui domine.

Humana autem cognitio, vel est Naturalis vel Rationalis.

Naturalis illa, cuius & participia animalia bruta, vel ex insita vi, vel ex sensuali notione. Nam insita & veluti connata vi, omnia animalia ferè, sibi contraria, vtilia & propria norunt.

Sensualisque notio per sensus & obiecta illis oblata, facilè accedit: vt per auditum, visum, gustum, odoratum, tactum.

Rationalis illa est, quæ solius est hominis.

nis. Et hæc nascitur, vel accedit: Aut ex propria vi intellectuali indita animali: vel ex discursu & actione rationis: vel ex obseruatione siue experientia, inquisitione & collatione rationabili rerum, causarum, tẽporum, actorum, vnde & præsagia, & alia: vel ex præceptis artificum: vel ex disciplina & institutione peritorũ.

De Methodo & gradibus, quibus perficitur cognitio. CAP. II.

COgnitio diuinitus tradita, alia nõ eget arte ad certitudinis probationẽ, quàm sola fide: Nec similiter naturalis vel ex sensibus comparata: Rationalis sola probationes recipit, cuius sunt infantiæ & perfectionis gradus decem, in quibus, vsque ad sextum organa sensuum prosunt: in reliquis autem, anima hominis sola negotiatur & cogitat.

Primus itaque gradus cognitionis, statuitur in re ipsa quæ cognoscenda: vt sit, quod indagandum venit, materia exterior, Græcis ὑποκείμενον, subiectum vel obiectum nobis.

2. In medio, quo sensibus res iungitur, & quodammodo applicatur: Non secus quàm per lucem, cognoscitur oculis, quod anteà in tenebris latebat. Et per verba, mẽs

defertur cognoscenda auribus, &c.

3 In organis sensuum, vel in sensibus benè dispositis exterioribus, qui quinque numerantur: Auditus, visus, olfactus, gustus, tactus: Quorum instrumenta & organa totidem: Aures, oculi, nares, palatum & lingua, totum corpus animale.

4 In sensu interiori, ad quem exteriores colliguntur, nisi aliena prohibeat passio: ad quem sensoria vel organa sensuum, transferunt sensita, vt ad sedem communem, vnde & sensus dicitur communis ea facultas. Atque hic incipit vis animalis operari.

5 In phantasia, vbi fiunt imagines rerum sensu comprehensarum. Hic etiam fit intellectualium rerum, intellectualis conceptio: cùm res incorporales non habeant corporum dimensiones, quibus simulacra perficiuntur.

6 In æstimatione & iudicio inferiori dicto: vbi iudicantur prædictæ comprehensiones, quales sint simpliciter & citra discursum vel ratiocinationem, distinctione facta tantùm reali. Et ad hunc vsque tantum gradum, cognitionis animalium præstantia ascendit, non vltrà.

7 In cogitatione. Διάνοια, Græcis, iudicium superius Latinis: quo comprehensæ

imagines

imagines, ad examen & iudicium reuocãtur discursus. atque hic pro simulacrorum varietate, & ex nimium summaria rerum collatione, opiniones varię nascuntur.

8 In ratione siue cõsultatione seria, qua, plura ad vnum stabiliendum colliguntur.

9 In intellectu, dum fit vera determinatio post ratiocinationem: idcirco, ibi quies agitationis mentis, & scientia indubitata. Dicimus autem hunc intellectum acquisitum, distinctum ab infuso, non via rationali vel humana, sed diuinitus præter ordinem vulgarem contingente.

10 Gradus, omnibus superioribus communis ferè, in Memoria constituitur, quæ est penus & cellarium imaginum, cogitationum, rationum intellectus. ibi etiam quies, nulla agitatio vel conflictus animæ: ibi & concurrentium ordinatio legitima per artem.

Erit autem anacephaleosis horũ graduũ decem, hæc:

1. Obiectum, 2 diaphanum, 3 sensualia, 4 sensus communis, 5 phantasia, 6 æstimatio, 7 cogitatio, 8 ratio vel consultatio, 9 intellectus, 10 memoria.

De Præcautione obseruanda in cognitione habenda, disputatione instituenda, in quæstionibus & earum solutionibus. CAP. III.

Præcautio omnis, consistit in cura & cõsideratione suiipsius, rei propositę, personarum quærentium, & causarum aliquorum accidentium.

Cura suiipsius consistit, vt primùm Dei opem in auxilium inuocemus, vel palam vel apud nos: Deinc vt à peccatis animam mundam: corpus ab impuris actionibus & contaminatis actionibus, quoad fieri poterit, liberum habeamus. Tertiò, vt animæ robur ab aliis negotiis ad opus agendum reuocemus, & in vnum quod proponitur, intendamus eius omnes vires.

Cura rei propositæ versatur, primùm, vt concipiamus eandem probè, interrogati vel quæstionis, mentem & circunstantias. Deinc, vt conuenienter eligamus in speculo huius artis, cellulam in qua contineatur.

Tertiò vt in dubiis, vtramque perpendamus partem.

Personarum quærẽtium obseruatio, versatur

satur in consideratione, num sint graues: vt tunc respondeatur paucis, & cum decenti decore, & conclusione accommoda: Num pertinaces, quia pluribus tunc verbis respondendum: Num simplices vel rusticæ & parum eruditæ, vt tunc simplici solutione cum ratione quadam ex natura deprõpta, fiat satis: Num doctæ, & bonis disciplinis imbutæ, vt tunc maximè locis ab authoritate traductis, ornamentum sumat oratio.

In causis accidentalibus, considera, an quod proponitur sit iam satis cognitum, vel decisum: si vanum & futile, si parui momenti, si supra mentis humanæ notionem: Nam in his sufficit simplici negatione vel affirmatione, respõdere. Deinde considera causas & occasiones cur fiat, & tempus in quo sit inquisitio.

Num quidem quis ad experiendas vires ingenij quærat: vt tunc totis neruis qualis sis, doceas. An verò tãtum tua desideretur sententia: tunc enim breuiter, sed appositè & cum ratione, respondere melius opinor quæ sentis: Quod si dubia & vtrinque probabilis videatur res, vtrãque propones sententiam: demum quam eligas rationibus firmabis, & aduersam refelles.

De generali rerum consideratione.

CAP. IIII.

PRima & summa rerum cõsideratio est, vt omne quod fuit, est, vel erit, dicatur aut substantia, aut accidens.

Substantia est, id quod est per se, in se, nõ in alio: in qua accidentia recipiuntur, quæ ei inhærent.

Accidens est, id quod potest adesse & abesse substantiæ subiectæ, sine rei cui adhæret corruptione. Quamobrem accidens verè & propriè, est tantum quatenus adhæret, nisi cõsideratione sola seorsum consideretur.

Diuiditur autem substantia, vt alia sit increata, creata alia, alia ex creata & increata constans.

Increata substantia, est immortalis & extrà omnia accidentia, omnem mutationem vel alterationem respuens. Et hæc solius ipsius Dei est qui omniũ creator, causáq; est omnis essentiæ: quia entia & non entia, ex Deo sunt.

Creata, subdiuiditur in spiritualem siue incorpoream, corpoream, & ex vtraque compositam substantiam.

Spiritualis vel incorporea rursum, vel est

viuens,

viuens, vel sine vita. viuens, qualis Angeli vel spiritus, item animæ. Sine vita substantiæ incorporales, possunt esse ideæ, & abstractiones quas animus facit. Item prima materia secundum philosophos.

Corporea denuò subdiuiditur, in simplicem & compositam. Simplex constituitur in æthere, & quatuor elementis. Aethere continentur decem cœli: empyreum, crystallinum, firmamentum vbi stellæ inerrantes, & septem planetarum orbes: sunt & eius substantiæ ipsi septem planetæ, Saturnus, Iupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna, & corpora stellarum fixarū.

Quatuor elementa, quæ ab Aristotele dicuntur substātiæ naturales sunt, ignis, qualitatis calidæ & siccæ: Aër, qualitatis calidæ & humidæ: Aqua, qualitatis humidæ & frigidæ: Terra, qualitatis frigidæ & siccæ.

Composita autē substantia, vel est perfectè ex quatuor elementis cōposita. Ex perfecta compositione nata, quædam habent solam essentiam, alia cum essentia vitam.

Quæ solam essentiam habent, sunt, veluti, lapides, gemmæ, vitrum, cadauera, exciſſa & arida ligna, metalla.

At, quæ cum essentia habent vitam, ratione perfectionis vitæ distinguuntur: vt, alia viuant vita plantæ, alia vita sensitiua,

alia intellectiua. Vita plãtæ vegetabilis dicitur: qualis in arboribus, fruticibus, herbis, oleribus, frumentis, leguminibus, & in horum & similiũ partibus & productis, in floribus, foliis, fructibus, corticibus, siliquis, & aliis id genus.

Vita sensitiua irrationalis dicta, in animalibus substantiæ suæ vim exhibet, siue ea sint volantia, pennis vel membranis: siue gressilia, quadrupedia, vel bipedia, aut multipedia: siue reptilia vel terrestria, vt serpentes, vel aquatilia vt pisces. Vita intellectiua viuunt homines soli, constantes anima intellectuali & corpore.

Imperfectè composita corporea substantia, apparet in impressionibus aëris, quæ conspiciuntur ex imperfecta elementorum quatuor compositione, vel ignitæ, vel aqueæ, vel aëreæ. Ignitæ impressiones, oriuntur ex halitibus siccis & oleagineis, & aliis: cuius mixtionis sunt stellæ cadentes, bolides, cometæ & similia his: addunt circulum lacteum dictum galactitem vel galaxiam, & apparitiones radiorum solis, quales parelij, Halõ, virgæ solis. Ex aquea impressione, nascuntur vapores, pluuia, nix, grando. Ex aërea, venti, terræ motus, fontes, flumina, &c.

Substantia constans ex corporali & incorpo

corporali, Homo est, cuius pars spiritualis anima, reliqua corpus.

Quæ verò ex increato & creato substãtia constat, est in solo domino nostro IESV-CHRISTO, qui cùm verus Deus sit & increatus, est & verus homo, sine diuisione hypostaseos, & sine confusione.

Axiomata Substantiæ.

1 Commune est omni substantiæ, in subiecto non esse

2 Inest secundis substantiis, idest vniuersalibus & differentiis substantialibus, vniuocè prædicari.

3 Omnis substantia, videtur hoc aliquid, significare.

4 Inest substantiis, nihil esse contrariũ.

5 Substantia non suscipit maius vel minus:

6 Substantiæ sunt susceptibiles contrariorum, vnum & idem remanentes.

De *accidente generaliter.* CAP. V.

ACcidens semper in alio est: vel per modum materiæ, vt est quantitas: vel per modum formæ, vt est qualitas: vel est ad aliud, & hoc respectum includit, & bifariam considerari potest: vel intrinsecus, quo casu facit prędicamentum Relationis:

vel

vel extrinsecus, quo modo alia sex cõstituit prædicamenta, per denominationem extrinsecam. Eo modo fit per actionem, actio: per passionem, passio: per tempus, quando: Et per locum facta comparatione ad totum, vbi: per comparationem loci ad partes, situs vel positio: per ea quæ adiacent corpori hominum & brutorum, interdum & plerunque fit habitus. De quibus postea proprio de accidentibus libello.

Omnium autem accidentium, aliud separabile, aliud inseparabile, aliud commune, aliud proprium. Separabile à subiecto euelli potest facilè: vt sedere, ambulare. Inseparabile, vt nigredo in coruo & Aethiope. Cõmune, quod pluribus & diuersis subiectis, vel substantiis accedere potest: veluti, calidum, humidum, siccum, frigidum asperum, leue, bonitas, magnitudo, duratio &c. vitia, virtutes, & his similia. Proprium, quod conuertitur cum subiecto, & vni soli generi, vel speciei conuenit, sine adiectione termini subiecti: qualis lux in sole, sum mè calidum, in igne.

Axioma de Accidente.

Accidens, melius demonstrat substantiæ dotes, alioquin ferè inuisibiles, incomprehensi

hensibiles, & indistinguibiles sensibus.

De secunda rerum consideratione, per materiam & formam. CAP. VI.

REs omnes creatę & factæ, habēt materiā ad formam susciendam idoneā, & formam qua res distinguuntur, mutātur, declaratur materia, & nomina cōcipiūtur.

Cæterùm Materia, vel spiritualis vel corporalis est. Spiritualis intellectualis dicitur, eáque bifariam intellectualis inquam creata simul cum sua forma, & consequenter immutabilis quod pertinet ad essentiā materialem: cuiusmodi est ea quæ angeli & animæ est. Alia autem est intellectualis, quæ per modum accidentis generatur in conceptione mentis, ex determinatione suppositā pro subiecto disputationis. Sic materiæ, in iuris Cæsarei & Pontificij explicatione, vt plerunque, pro ipsa rerum tractatione.

Corporalis materia, vel prima vel secunda est.

Prima, illa est quam dicunt informem physici & inuisibilem: Moyses in mundi Genesi, vocat cœlum & terram. Secunda, ea quæ est ex priore & forma, composita, & ex qua aliquid aliud fit vel fieri

potest

poteſt:ita materia ſtatuæ, & lignum,& æs & ſimile vnde fit. Erit autem hæc materia,vel ſimplex vel compoſita,vel ſubſtantialis,vel accidẽtalis. Simplex,velut quatuor elementa ſunt pro ſimplici materia elementatorum. Compoſita, vt lignum, æ'ſve in ſtatua.Subſtantialis quæ & naturalis dici poteſt, eſt veluti germem auis eſt materia:ſemen, eorum quæ inde oriuntur. Accidentalis, quæ naturali & ſubſtantiali accedit non ſubſtantialiter.

Formarum etiam,alia ſpiritalis,alia corporalis.Spiritalis rurſum, ſubſtantialis vel accidentalis eſſe poteſt. Subſtantialis,per quam fit eſſentialis diſtinctio per propriã naturam conceſſam cuiq; angelorum, vel animarũ. Accidentalis ex accidentibus diſtinguit,veluti numero, ordine, bonitate, malitia, vitio,&c.

Forma corporalis, eodẽ modo, eſſentialis aut accidentalis dicitur. Eſſentialis vel ſubſtantialis illa eſt, quæ dat rei eſſentiã, qua perempta vel imminuta, res ipſa quæ erat, perire vel minui dicitur. Naſcitur nãque ex certa determinatione, mixtione & compoſitione, cuius diſſolutione diſſoluitur eſſentia.veluti in homine, anima & corpus formam conſtituunt, hiſque diſtinctis nõ amplius homo, ſed cadauer vel anima,

ita

ita lapides, plantæ, animaliáque dum integra sunt, dum viuunt, ex tota substantia dicuntur habere certam essentiam, quam post dissolutionem amittũt: siue ex visibili aut ab inuisibili, oriatur forma. Quomodo autem hæc compositio misceatur & perficiatur, soli summo perfectóque rerum artifici & creatori Deo, relinquendum.

Accidẽtalis forma est, quę accedẽs subiecto vel materię, aut inde recedens, nõ corrumpit subiecti vel materiæ, essentialem formam: siue accidentalis forma visibilis sit, vt color: sine inuisibilis, qualis est modus vtendi.

SYNTAXEΩN ARTIS MIRABILIS,

LIBER SECVNDVS.

De *artis Speculo.* CAP. I.

EX generali rerum consideratione, ad singularia perueniendi facilis est via & methodus. Idcirco desideramus huius artis discipulum, Epitomen sequentem, quã speculum dicimus, accuratè præscire & memoria

moria tenere: ibi enim rerũ omniũ ideas, & in ſpeculo repræſentatas formas, momento temporis contemplabitur, & ordinem & electionem ſubſtantiarum & accidentium, admirabitur & annotabit.

Speculum artis huius, Duas partes habet ſummas & præcipuas. Prior continet modum quærendi, examinandi & diſputandi, & reſpondendi: in hac diſponitur animus & mens eius qui ſcire deſiderat.

Altera cõtinet claſſes & cellulas ad quas, propoſita, ſcienda, diſputãdaue referri debent: vnde duci & argumenta & rationes oportet.

Speculi prior pars, quæſtiones & comparationes exhibet.

1 QVAESTIONES. 9.
2. 1 Vtrum vel an.
3. 2 Quid, quis, quæ, quod.
4. 3 Quotuplex.
5. 4 De quo.
6. 5 A quo.
7. 6 Secundum quid.
8. 7 Cuius.
9. 8 Propter quid.
10. 9 Quare.
11. COMPARATIONES, vel relationes ex trina triplicitate.

Prior Triplicitas. 21. 1 Diffe

12. 1 Differentia.
13. 2 Concordantia.
14. 3 Contrarietas.
2. Triplicitas.
15. 4 Principium.
16. 5 Medium.
17. 6 Finis.
3. Triplicitas.
18. 7 Maioritas.
19. 8 Æqualitas.
20. 9 Minoritas.

Quæ omnia in ſubſtantia, accidentibus, uirtutibus, uitijs, prædicatis & ſubiectibus, habent praxim.

Secunda ſpeculi pars.

21. Claſſis cõmunis, prædicamentorum, ſubſtantiarum, accidentium, in abſtracto & concreto. Dicuntúrque huius ordinis res, Tranſcendentia, numero 9.
22. 1 Bonitas, bonum.
23. 2 Magnitudo, magnum.
24. 3 Duratio, perſeuerans.
25. 4 Poteſtas, potens.
26. 5 Cognitio, Scientia cognoſcens.
27. 6 Voluntas, volens.
28. 7 Virtus, virtuoſum.
29. 8 Veritas, verum.

30. 9 Gloria, glorioſum.
31. Claſſis Accidentium & prædicamentorum, accidentalium, numero. 9.
32. 1 Quantitas.
33. 2 Relatio.
34. 3 Actio.
35. 4 Paſſio.
36. 5 Vbi.
37. 6 Quando.
38. 7 Situs.
39. 8 Habitus.
40. 9 Qualitas.
41. Claſſis ſubſtantiæ & prædicamentorum præcipuorum.
42. 1 Deus: Hic, locus à Dei placitis.
43. 2 Angelus: locus, ab angelorum vi & reuelationibus.
44. 3 Cœlum: locus, à vi & effectu cœleſtium.
45. 4 Homo, cum loco ab authoritate & factis eius, & inuentis.
46. 5 Anima, cum ratione & imaginatione: locus, à præſtantia animæ:
47. 6 Vita ſenſualis, & bruta: locus, ab animalium irrationalium ſubſtãtia, factis, & naturis.
48. 7 Vita vegetatiua: locus à plantis & earum virtute, & natura.
49. 8 Silentia corpora, ſine vita, habentia

tia essentiam composítam tantum: locus à lapidibus, metallis & similibus elemẽtatis.

50. 9 Corpora simplicia, elementa rerũ, siue principia seorsum considerata: Hic, locus à principiis & elementis rerum, scientiarum, & actionum.

51. Classis, qualitatum particulariũ virtutum, & contrariorum.

52. 1 Iustitia: iniustitia.

53. 2 Prudentia: imprudentia.

54. 3 Fortitudo: timiditas.

55. 4 Temperantia: intemperantia.

56. 5 Fides: infidelitas.

57. 6 Spes: desperatio.

58. 7 Charitas, vel misericordia: sine charitate, immisericordia.

59. 8 Legum obseruatio: legũ violatio.

60. 9 Pietas: impietas.

61 Classis qualitatum particularium vitiorum, & contrariorum.

62. 1 Superbia: humilitas.

63. 2 Auaritia: liberalitas.

64. 3 Luxuria: castitas.

65. 4 Inuidia: beneficentia.

66. 5 Gula: sobrietas, abstinentia.

67. 6 Ira: patientia.

68. 7 Acedia: strenuitas, diligentia.

69. 8 Fraus, dolus, calumnia: Bona fides.

70. 9 Impudentia: verecundia.

De usu & praxi speculi. CAP. II.

IN hac arte, hic ordo in dicendo,& cognoscēdi methodo seruetur. vt primùm consideremus rem propositam, cuius sit classis & numeri in speculo. Deinc obseruandæ sunt præcautiones, de quibus superiori libro egimus.in 3. cap. Tertiò, antequam rem seriò aggrediamur, exordio aliquo præludendum, vel præcognitione quadam summaria: & purè & simpliciter res complectenda vel explananda de qua dicturi simus. 4. ad examen quæstionum, vel ad topica ex quæstionibus elicita, perueniendum. Postea. 5. ad relationes triplices, res conferenda. 6. ex reliquis classibus serie continuata mutuādæ probationes simpliciter. 7. possunt ex mistione classium & cellularum, aliæ penè infinitæ depromi rationes, ex quibus quilibet poterit eatenus haurire, quatenus sibi sufficere arbitrabitur, omittendo ea quæ non sibi plenè probare, vel non satisfacere existimabit.

De exordio. CAP. III.

EXordium mihi probatur, quod attentos, beneuolos vel dociles reddit auditores. Attentos reddemus, si nos polliceamur

ceamur de rebus magnis, nouis, difficilibus, & in vsu quotidiano & vtili positis dicturos: Benenolos, occasione sumpta à re ipsa, à persona vel nostra, vel auditorum, vel aduersarij, vel iudicis, vel aliorũ: Dociles autem, si per breues diuisiones, eligamns & distinctè proponamus capita discenda, docenda, dicenda, disputanda. Conciliat etiam animos & dociles facit, Narratio negotij, si ea sit sine ambiguitate, sine repetitione: si fiat accõmoda pronuntiatione, verbis vsitatis & propriis: si exprimantur circunstantiæ omnes.

Erit omne exordium in summa, breue, quia prolixnm fastidiosum: & à re proposita non longè petitum: Non vulgare, non affectatum, non superfluens.

De *tribus dicendi partibus.* CAP. III.

DOctrinæ dicendi partes tres, vis orationis, oratio ipsa, quæstio. Vis orationis, consistit in rebus & verbis. Hæc sunt inuenienda, disponenda & rectè pronuntianda. Verba comitantur, vox, motus, vultus, actio: custos horum omnium memoria.

Oratio ipsa, partes habet quatuor: duas quidem ad impellendos animos, principiũ & perorationem: duas autem ad docen-

dum, nempe narrationem & confirmationem. Quæstio duplex, infinita & definita: infinita, consultatio est: definita, dicitur controuersia.

Constituuntur & tria orationum genera, iudiciale, deliberatiuum, & demonstratiuū. Iudiciale, quando coram iudice disceptatur, vt sequatur finis per sententiam iudicis, absolutionis vel condemnationis. Deliberatiuum, quod agitatur coram eo qui consilium accipit, vel in eo positum, de quo consulitur, cuius finis spes aut suasio, aut deliberatio. Demonstratiuum, habet finem in exornatione.

De quæstione in genere. CAP. V.

QVęstio, est propositio dubitabilis, vel in dubitationem deducta: quæ apud iuris ciuilis & pontificij interpretes, dicitur species facti, aut casus, vel hypothesis: apud oratores, causæ status.

Omnis quęstio, est vel rerum, vel dictorum, vel factorum, vel voluntatis. In rebus, quęstio versatur, vel circa substantiam, vel circa accidentia. Rursum Quęstio, aut simplex, aut composita: Simplex est, quæ vnius subiecti, veluti, num mūdus sit æternus. Composita, num plures sint.

Diuersitas autem omnium quæstionum,

nascitur

nascitur ex quadruplici fonte: vel ex parte rerum in controuersiam deductarum, vel ex parte nominum, vel ex modo loquendi, vel ex diuersitate artium, ad quas quęsita pertinent. Rerum controuersarũ, duo maximè genera: vnum simplex, aliud compositum. Simplex, quod ex simplici nascitur pronuntiato: cuius modi quærendi sunt, an sit, quid sit, num hoc sit illud: quomodo hoc sit illud, de quo, à quo, & sic de similibus. Compositũ, quando copulatiuè vel disiunctiuè fit quæstio. Copulatiuè, quando cõiunctione, duo vel plura iunguntur: vt, num terra stabilis sit, & cœlum moueatur. Sunt autem dictiones copulatiuæ, &, etiam, quoque, q;, ac, simul, tum. Disiunctiuè, quando disiunctim quid proponitur: vt sit ne dies, aut nox. Disiunctiuæ porrò dictiones, nec, neque, siue, seu, ve, vel. Quando ob nomina quæstio, animaduertendum est, Nominum alia esse vniuoca, alia æquiuoca vel homonyma: alia polyonyma, alia denominata, alia homogena, idest eiusdem generis: alia heterogenea, alia homoïdea, vel communicantia in specie: alia heteroïdea quę sunt diuersę speciei. Vniuoca dicuntur, quibus nomen commune, & ratio substantiæ est eadem. Homonyma autem duplicia, vel

æquiuoca à casu, vel à consilio: quando existente nomine communi, ratio & finitio substantiæ est diuersa: Polyonyma quãdo existente diuersitate nominum, vna & eadem est substantia.

In modo loquendi, consideramus verba & voluntatem, vel mentem.

In verbis consideramus, num quęstiones sint prædicatiuæ, aut conditionales, aut purę, aut modales. Prędicatiuę: veluti, num homo sit bipes, vbi homo subiectum, prædicatum bipes.

Conditionales, vt num si quis loquatur, expuat. Puræ, vt, Num homo mortalis. Modales, si ex quatuor modis aliquẽ habeant, veluti num possibile, num impossibile, num contingens, num necessarium.

De *Quæstione utrum uel an.* CAP. VI.

QVæstio an sit, reliquas necessariò præcedit, vel in confesso est, ne in cæteris perperam tempus conteratur.

Quæstio an sit, quærit, vel an sit simpliciter vel conditionaliter: num per se sit: num sit in alio subiecto: sit ne omnino vel pro parte, scilicet per compositionem vel additionem: an hoc illud sit. adde & quatuor proximè citatos modos, num possibiliter, impossibiliter, contingenter, necessario sit tale:

tale: vel purè, vel simpliciter, vel compositè. per quæ etiam pari modo respondetur: scilicet quia possibile, impossibile, contingenter, &c.

Huic etiam quæstioni fit satis generaliter, per dubitationem, affirmationem, negationem: Et in his quæ facti sunt, per probationem. Dubitatio, non improbabitur, si proponantur dubij rei effectus: si in alterutram partem producãtur rationes: si probationes sibi inuicem fidem abrogantes, adferantur.

Affirmationem iuuant, exhibitio rei, effectus, causæ demonstratio, rei necessitas, contingentia, authoritas asserentium.

Negationem firmamus, impossibilitate, authoritate scribentium, ratione. Probationes autem facti, vel artificiales vel inartificiales erunt, vel coniecturales: Artificiales eliciuntur. à iuris authoritate & legibus, à ratione, à iudicatis, ab exemplis, à tortura. Inartificiales erunt, testes, instrumenta, scripturæ aliæ, antiqua monumẽta, vel cænotaphia, lapides antiqui celati vel sculpti. Coniecturæ, ex vestigiis facti accipiuntur: sic probant necem, telum, cruor, clamor editus, permutatio coloris, oratio inconstans, antè & post factum dicta, facta, communicatáve.

De quæstione quid, quis, quæ, quod, sit.

CAP. VII.

HAbita cognitione quod res vel negotium sit, rectè interrogatur quid sit illud.

Quæstio autem quid, petit finitionẽ vel nominis vel rei, siue substantiæ: vel personæ, per quis, quæ, quod, petit cognitionem. Estq; petitio de eo quod quid est, vel extrinsecè, idest prout apparet: vel intrinsecè, de non apparente: vel absolutè, sine expressione latentis vel apparentis.

Petit & hæc quæstio, quid sit in se, quid in alio: quid in se, formaliter, idest per formam: quid essentialiter, id est quid in sua essentia & substãtia propria: quid coëssentialiter, id est quid sit cum alio. Itẽ in alio, quid id agit, quid operatur, quid patitur in alio, vel per alium: sic in dominante, per quid, est dominatio: in imperante, subiectio: in glorificante, glorificatio. Quęrit & quid habeat in se, & in alio. Quid inquam, habeat in se, continenter vel cõpositiuè. Continẽter, vt totũ habet partes, & anima cõtinet facultatẽ agendi, patiendi, vel propriè vel appropriatè, & sic in aliis. Quid habeat compositiuè, idest, quã mixtionem ex materia & forma. Quid autem

in alio

in alio habeat, quęrit quid agit in alio: vt omne agit in ſua parte: forma, in ſua materia: virtus, in potentia: cauſa, in ſuo effectu: accidentia, in ſubiecto.

Ex hac quęſtione colliguntur rationes & argumẽta à finitione nominis, rei vel ſubſtantiæ, ſtatus perſonæ vel conditionis. Itẽ ab apparentibus, ab intrinſecis: ab eſſentia propria, qualis in igne calor: ab appropriata, vt in ſole eſt idem calor.

Modi eſſendi in alio, ex uarijs authoribus in unum ſchema ordinati. CAP. VIII.

RES eſt in aliquo, ſequentibus modis.

1 Genus in ſpecie: vt animal eſt in finitione hominis, vt ſuperius in inferiori.

2 Species in indiuiduo: vt homo, in Petro, Iohanne &c.

3 Species in genere: vt homo latet & cõprehenditur ſub animali.

4 Indiuiduum in ſpecie: vt Petrus, comprehenditur ſub ſpecie hominis.

5 Pars in toto integrali: vt digitus in manu, manus in carpo, carpus in brachio, caput, pedes & manus, in Socrate.

6 Totum in partibus: quia totum non eſt ſine partibus, quãuis totum, non ſit partes: veluti Socrates eſt in propriis membris, capite manibus & brachijs.

7 Acci

7 Accidens in ſubiecto: vt album in pariete albo.

8 Forma in materia: vt ſanitas in frigidis & calidis, humidis & ſiccis: forma ſtatuæ, in ære.

9 In cauſa efficiente & actiua: vt planta in ſemine, & ſole & imbribus. omnia in Deo: lectus in ligno: & homo in lumbis patris.

10 In finali cauſa: vt lectus in requiem hominis, quia propter eius quietem fit. Sic dicimus, omnia in optimo & in fœlicitate eſſe conſtituenda, id eſt propter finem illũ, & ad illum conſequendum.

11 In loco: vt ſacerdos in templo, præſes in ſenatu.

12 In tempore: vt Noë in diluuio, id. in tempore diluuij: homo in diſputatione, in eo ſcilicet tempore.

13 In vaſe: vt vinum in dolio, triticum in modio, & ſic de aliis alibi concluſis.

14 In gubernatore & potente: vt adminiſtratio, imperiũ in magiſtratu & lege: nauta, in naui.

15 Secundum quandam præcellentiam & eminentiam: vt calor in ſole.

16 Forma naturalis, vt immortalitas in anima, ratio in homine, in igne calor: & proprium in re, vt grauitas in terra, fluiditas

in

in aqua &c.

17 In commixtione: vt in mulso, vinum & mel.

18 Cognitum, in cognoscente.

19 Pictum, in pictura.

20 Deinc, Non similiter omnia in omnibus intelligenda. Sed propriè se habet ad omnia vniuscuiusque essentia: in intellectu quidem intellectualiter: in anima verò rationabiliter: in Plantis seminariè, in corporibus imaginariè: in eo quod est eodem modò (quod his omnibus superius est) modo quodã intellectuali supereſſentiali.

Axioma.

Ex diuersitate essendi, colliguntur distinctiones rerum & sermonum, vitatur & cõfusio: Et varietates.

De *finitione.* CAP. IX.

QVia in quæstione quid est, respondetur per finitionem, notandum finitionẽ, esse orationem quæ breuiter demonstrat cõtenta vel in nomine, vel natura siue essentia, vel in accidente rei. Non secus ac in rerum corporalium certitudine, termini & anguli, res ad inuicem distingunt & demonstrant

monſtrant. Cæterùm, finitionum quatuordecim traduntur ſpecies, quas ad octo reduximus, vel rei vel nominis.

Definitiones rei quinque.

1 Eſſentialis, quæ complectitur omnem eſſentiam & ſubſtantiam rei.

2 Per modum cognitionis & deſcriptionis, eius quod res facit, vel habet: ex quibus intelligi poteſt definitū per qualitates expreſſas. vt beatus ita definitur, qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit. &c.

3 Quando per comparationē vel ſimilitudinem rei magis cognitæ, id quod quæritur, quid eſt demonſtratur.

4 A forma ſola ducitur.

5 A materia.

Definitiones nominis tres.

6. 1 Quæ per ſolutionē vel diuiſionem compoſitionis nominis fit, vt teſtamētum, teſtatio mentis: dicitur, notatio.

7. 2 Quæ ab etymologia nominis, vt pertinacia definietur a pertendendo.

8. 3 Secundum analogiam vel ſimilitudinem rationis, quæ latet in nomine: vt homo dicitur, Deus, ſimilitudine, participatione, non natura.

Axioma

Axiomata de Definitione.

1 Omne æquiuocum, prius distinguendum quam definiendum.

2 Non est immorandum, in finiendis perfectè rebus parui momenti.

3 Antequam perfectam essentialem dare possimus, probè, quantúmve consequi poterimus, intelligere debemus rei naturam.

4 Perfectè omnia definiri nequeunt, eo quod perfectè non possint cognosci, vt Deus: & ideo omnis finitio periculosa est.

5 Genera definiuntur, per collectionem naturarum & differentiarum specierum.

6 Species definiuntur, per commemorationem generis & propriarum differentiarum, alia quibus ab aliis speciebus distinguantur.

7 Indiuidua, adiectione speciei & proprietatis cuiusdam, definiuntur.

8 Cui conuenit definitio, conuenit & natura finiti. Et contrà.

9 Cui non conuenit finitio, nec natura finiti, & contrà.

10 Finitio perfecta, non debet esse latior vel angustior natura rei definitæ, sed debēt hæc conuerti.

11 Concurrente notatione nominis, & substa-

ſubſtantiali finitione, ſequenda ſubſtantialis.

De notis ueræ & optimæ finitionis.

CAP. X.

EXigitur in optima definitione, vniuerſale genus, ſpecies, differentiæ, proprium, accidens aliquando, indiuiduum.

Quippe quia omne quod cogitatur, quod eſt, quod dicitur, quod habetur, definiendum eſt, vel vt vniuerſale, vel vt genus, vel vt ſpecies, vel vt indiuiduum: in quibus diſtinctiones aut differentiæ adhibentur, vel propriæ, vel accidentales, vel numerales.

De Genere.

Genus eſt, quod plures partes complectitur.

Vſurpatur autem, vel propriè vel impropriè. Propriè, tanquam vniuerſale, quod eſt vnum indiuiduè plura continens: vt vniuerſitas. Apud dialecticos, quod habet ſub ſe ſpecies, inter ſe & cum aliis, propriè differentes. Impropriè & metaphoricè genus dicetur: vt Totum, omne, fons & origo & principium plurium:

ſtemma

Stemmatis & generationis initium: Locus multis communis, vel habitatione vel natiuitate: Elementa & principia: compositionis initia: Et species specialissima, genus apud iurisconsultos interdum. Doctrinarum vel sectarum nomina, quæ earum assectæ distinguntur: congregatio hominum, genus ciuile: res pluribus inseruiens actionibus, veluti medicamentum pluribus morbis accommodum, apud medicos & genus.

Axiomata generis.

1 Ex singulis, oritur ipsum vniuersale.
2 Singularia, per sensum habere oportet, vniuersalia autem, in sensu.
3 Indefinita æquipollet vniuersali, si nihil excipiatur.
4 Generaliter dictũ, generaliter est intelligendum.
5 Qui omne vel totum dicit, nihil excludit.
6 Omnia verbo generali cõprehendi debent.
7 In toto, pars quoque continetur.

De Specie. CAP. XI.

SPecies, Cicero vocat formas: vt & Porphyrius vniuscuiusque formam.

Porrò ſpecies, variè vſurpatur. Nam apud Grammaticos, accipitur pro originali dictionis poſitione: ſic ſpecies illis nominum primitiua, quando aliundè non deriuatur, vt Æneas, cœlum: & deriuatiua, quando aliundè deriuantur. Apud Rhetoricos & Poëtas, pro forma & diſpoſitione aſpectus faciei: Sic, quis dicitur ſpecie triſtis, hilaris, criticus, &c.

Apud Phyſicos, pro rei ſimilitudine: ſicuti dum dicit Ariſtoteles, ſpeciem lapidis eſſe in intellectu. Et Metaphyſicè, ſpecies ſumitur, pro forma exemplari: hinc idèæ, formæ ſpecificæ Platoni & Ariſtoteli. Communiter autem & apud iuriſcõſultorũ interpretes, pro eo quod in indiui duo proponitur: ita ſpecies illis facti: item pro pulchritudine, vt ſpecioſus pro formoſo & pulchro. Apud Logicos, pro forma ſubſtantiali, & pro natura communicabili omnibus indiuiduis ſpecies ponitur: quæ determinato & certo generi ſupponitur: vt homo ſpecies animalis, id eſt, res quæ ſub genere ponitur, & de qua genus in eo quod quid eſt, prædicatur.

Axioma

Axioma.

Generi per ſpeciem derogatur.

De Differentijs. CAP. XII.

OBſeruandum eſt, pro diſtinctione & diſſolutione argumentorum: Differentiarum, aliam eſſe accidentalem, aliam ſubſtantialem. Accidentalis, facit alterum ab altero, vel numero, vel communiter, vel propriè: Numero, in his quæ differunt per multum, magis, & minus, quæ in indiuiduis locum habent: communiter autem, ex accidente ſeparabili: ſicuti propriè ex accidente inſeparabili, vt qui habet oculos cæſios, differt à non habentibus.

Subſtantialis vel eſſentialis differentia, magis propria, facit aliud ab alio: eáque eſt, vel generica, vel ſpecifica. Generica eſt cùm ſubiecta ſunt diuerſi generis: vt equus & ficus, habent diuerſa genera, animal & plantam. Specifica eſt, eorum quæ proximo generi communicant: & hęc explicat qualitatem, quæ ſpeciem ab ſpecie facit differre.

In ſumma, differentia tria facit. primùm diuidit genus, & illud limitat per ſpecies.

Secundò, constituit species sua distinctione. Tertiò, facit differre species ab inuicem.

Reliqua quæ ad differentiam pertinent, videre oportet in relationibus post quæstiones.

De Proprio. CAP. XIII.

PRoprium cuique, quod optimum est apud Platonem.

Vel secũdum Ciceronem, proprium cuique, quo quisque vtitur vel fruitur. Proprium ideo, quia propius alicui potius quàm alij, accedat: non ita nec æque aliis ac vni, commune.

Quatuor autem modis proprium dicitur: primùm, quod alicui soli speciei cõpetit, non omni tamen indiuiduo eius speciei: vt hominis proprium ratione vti, potentia quidem omni homini proprium, sed non actu. Secundò proprium, quod omni indiuiduo alicuius speciei conuenit, excepto casu & impedimento, verumtamen non tantum ei soli speciei: vt quod homo bipes sit, hoc enim & commune auibus. Tertiò, proprium, quod alicui speciei, & eius omni indiuiduo, competit, sed non semper, nec omni tempore: veluti, canescere homini, quod non omnibus hominibus

minibus sed senibus tantùm, accidit, vel alia occasione pituitæ. Quartò Proprium, quod omni indiuiduo conuenire potest eiusdem speciei, & semper, quando voluerit: vt homini proprium, esse risibile: hinnibile, equo: crocitare coruo.

De *Accidente*. CAP. XIIII.

ALius tertiúsque vniuersaliter distinguendi modus, est per accidens in abstracto consideratum vniuersaliter, non in concreto: veluti consideratur aliter albedo, aliter album.

Accidens apud Aristotelẽ, quatuor modis dicitur: primùm id quod est extrà naturalem formam & rationem: Huiusmodi sunt nominum impositiones. Secundò, pro omni ente quod non est substantia: súntque huiusmodi nouem, vt quantitas, qualitas, & alia prædicamenta. Tertiò, pro casu & fortuna, seu pro eo quod præter spem aduenit: Dicuntur & apud medicos accidentia, morborum symptomata, & morborum causæ, interdum & morbi ipsi. Quartò, accidens vsurpatur pro omni eo quod in sermone & prædicato appositum, facit propositionem per accidens, cùm prædicatum non est de essentia: vt homo est Iohannes, alba nix est.

Axiomata.

1 Accidens, nõ potest esse sine subiecto vel existente vel considerato.
2 Variatio accidẽtis, nõ mutat substantiã.

De Indiuiduo. CAP. XV.

INdiuiduum id dicitur, quod per diuisionem, tale quod est, esse desinit.

Indiuiduum, vel ratione formæ substantialis est, vel ratione formæ figuræ externæ. Formæ substantialis indiuiduum, in anima apparet, quæ vna in animas non diuiditur, sicut nec factum, nec per se solutio stata, neque seruitus eundi, agendiue iumenta, &c. non iura apud iurisperitos. Pari modo, ratione formæ figuram apparentem adiicientis, indiuiduus erit Petrus, Iohannes, &c. quia in alios Petros ille, vel Ioannes diuidi, citra figuræ corruptionem, nequit. nec vna manus in plures: etsi ratione corporis secabilis, res per se, non contemplata figura, diuidua sit: Et hoc indiuiduum reale, vt prius legale dicunt iurisconsulti.

Indiuiduum pro singulari acceptum, quadrifariam sumitur: vt aliud sit indiuiduum demonstratione, aliud terminatione, aliud vagum,

vagum, aliud ex ſuppoſitione. Demonſtratione, quando ſine appellatione res aliqua demonſtratur. Determinatione, qualia ſunt propria nomina, rebus ex placito impoſita. Vagum, quando cum vniuerſali, adiicitur indefinita particularis dictio, quales, quidam, aliquis homo, item, quiſpiam, quodpiam, &c.

Ex ſuppoſitione, cùm ex his quæ dicuntur, quoddam ſingulare intelligitur, vt filius Mariæ, pro Domino noſtro IESV-CHRISTO.

De *tertia quæſtione quotuplex, & de loco diuiſionis.* CAP. XVI.

PRoximum eſt, vt cùm quid ſit vnumquodque dixeris, deinde quotuplex ſit oſtendas: diuiſiones enim, nos ſcientiæ compotes reddunt.

Hic generaliter, locus diuiſionis, partitionis, & enumerationis conſtituitur: inter quæ hoc intereſt, quod diuiſio ſit generis in ſpecies: Partitio, totius cuiuſlibet, in partes & membra. Enumeratio vel diſtinctio, eſt vocis in ſignificata diſtributio.

Vt autem diuidendi quiſque ſibi compararet facilitatem, ſubijciemus typum diuiſionum.

Diuiſio itaque fieri poteſt modis ſequentibus.

1 Generis in ſpecies, per differentias contrarias & oppoſitas: éſtq; hæc integra & perfecta diuiſio.

2 Diuiſio fit, in formas eſſentiales: vt, corpus aliud animatum, aliud inanimatum.

3 A cauſa materiali vel à materia: vt plantæ, aliæ à ſemine, aliæ ſine ſemine naſcuntur.

4 Ab his quę rebus adiacent: vt animaliũ aliud domeſticum, aliud ferum.

5 Et adiacẽtia, prout in abſtracto ſumuntur, diuiduntur, in ea quibus adiacent: vt feritas, alia pardi, alia leonis, &c.

6 Sic ab actibus & iis qui agunt, fit diuiſio: vt hominum, alij ſtudioſi, alij ſegnes.

7 A cauſis efficientibus: vt animalium, aliud generatur à putredine, propagatione aliud, aliud à ſole cum aliis &c.

8 A variatione factorum: vt animalium, aliud parit fœtum, aliud vermen, aliud ouum. &c.

9 A fine diuerſo, vt rerum, aliæ ad voluptatem, aliæ ad neceſſitatẽ, aliæ ad bellũ, aliæ ad pacem.

10 A diuerſis modis tendentibus ad vnum finem: vt hominũ alij diteſcunt iuſtè, videlicet

delicet bonis artibus: alij iniustè, ex rapina furto, aliis'ue illicitis.

11 A loci diuersitate: vt animantum, aliæ degũt in paludibus, quædã in aqua, quædam in syluis.

12 A tempore: vt florum, alij æstiui, alij autumales, alij verni. &c.

13 A connexis, vt hominum, alij domini, alij serui, alij ingenui, alij libertini, &c.

14 A contingentibus: veluti musicorum, alij literati, alij illiterati.

15 A dictis, veluti hominum, alij laudati, alij opprobrio affecti.

16 A partitione similium vel dissimilium: Similium inquam: facta diuisione in partes toto similes: Et ita diuiduntur similares partes, vt os, caro, neruus, in partes substantia similes. Dissimilium partitio, fit de partib⁹ dissimilaribus in partes dissimiles, veluti in capite, manu, & similibus, quæ non diuiduntur in capita, in manus, sed tantùm in alias dissimiles portiones.

17 A sufficienti partium enumeratione.

18 Ab ordine & numero: vt dum partitio fit in primum & secundum &c.

19 Postremo, ab omnibus classibus & cellulis speculi nostræ artis, diuisio sumi potest, & ab eorũ contrariis, de quibus loco proprio.

Axiomata.

1 In vera diuisione, nullo modo consideratur naturâ prius vel posterius.
2 Neque maius vel minus.
3 In partitionibus, cuncta permissa.
4 Diuisa, participant quidem in natura generis, verúmtamen, naturas & proprietatem inter se non commiscent.
5 Quod dictum est de toto, habet locum in aliqua eius parte.
6 Qui totũ dicit & partes comprehẽdit.

De *quarta quæstione*, De *quo uel ex quo*.

CAP. XVII.

IN hac quęstione, cognoscitur basis vel materia ex qua aliquid fit.

Respondetur itaque, ad quęstionem ex quo vel de quo, tripliciter, vt sit: Non ab aliquo nec de aliquo, vt Deus: Non de aliquo sed ab aliquo, vt creatum omne, angelus, anima: vel sit de aliquo & ab aliquo, qualia sunt corporea generata, producta, facta, formata.

Fit autem aliquid ex alio: vel ex materia sensibili & corporali, vel ex materia spirituali. Ex materia sensibili, vel materialiter mutata forma, vt dum ex panno, fit vestis: vel transmutatiuè siue conuersiuè, vt dum

cibus

cibus & potus mutãtur in carnem & sanguinem, aliquod metallum in aliud, lapis in calcem. vel confusiuè per commixtionem: vt dum fit ex aqua & melle hydromel: ex aceto & melle, oxymel. vel compositiuè siue constitutiuè, vt dum ex cæmentis, lapidibus, & tignis, fit domus: ex anima & corpore, homo.

Ex materia spirituali fit aliquid ex alio, veluti quando de aliqua re instituitur tractatio: vel quando imagines seu phãtasmata, apprehẽsa, vel notiones rerũ cõstituunt discursum, vel sermonem, vel consilium.

Repeto hic rursum, materiam duplicem esse, primam & secundam. Prima & remota, est id quod primum est, & ad quod vltimum aliud reducitur, quóue corrupto vel dissipato, non est materiatum. Secunda & proxima, est, quæ ex alia vlterius materia, tanquam parte essentiali componitur: vt aurum & argentum in statua, materia statuæ est.

Axiomata quæstionis, De *quo, & materiæ.*

1 Materia non est separata à corporibus: quia sine ea, non sunt.

2 Qualis materia, tale materiatum.

De

De quinta quæstione, à quo, & per quem.

CAP. XVIII.

PEr hanc quęstionem, authorem, inuentorem, facientem, agentem, & originé, aliam tamen quàm materiæ, quærimus.

Fieri autem quid potest, & dicitur ab aliquo, vel per aliquem, tripliciter: vel constitutiuè, vel compositiuè, vel effectiuè: per instrumentum, actionis, cognitionis, inuentionis, verbi. Instrumentum actionis, secundum negotij vel artificij necessitatem variat: velut instrumẽta bellica, galea, lancea, clypeus, signa, & reliqua id genus, sunt diuersa ab instrumentis agriculturæ, veluti, à marra, rastro, aratro: vt sutorum, acus filum, forfices diuersa. Dicitur & fieri quid, pugno, manu, &c. Cognitionis instrumenta sunt, pædagogi, libri, documenta, pręcepta, & alia similia. Inuentionis, ratio, casus, fortuna, experientia. Verbum, instrumentum Dei fuit in creatione: est & in homine, cum vi diuina, miraculorum, sanitatúmve instrumentum: fiúntque per verba, impressiones in animo ex auditis.

Axioma.

Omnis facultas quę alicuius causa agit, in

instrumenta quærit ad opus apposita.

De sexta quæstione, iuxta uel secundũ quid.

CAP. XIX.

HIc locus, addit tractationi similitudinis considerationem. Et quęstio hæc, habet solutionem: vt sit, vel secundum conceptionem animi, vel præter, vel cõtra. vel secundum ideas exẽplares, quas quis imitatur, vel præter, vel contrà. vel secundum ideas vel formas cœlestes, ad quas inferiora referuntur, vel præter, vel contrà. vel secundum præcepta, leges, canones, mandata, &c. vel secundum rationẽ temporis, locorum, occasionis & similium. Conceptio animi, habet exemplar secundum quod ex voluntate fit, vel opus vel oratio. opus autem, vel per ichnographiam, leuẽ inquam descriptionem: vel per orthographiam, id. rectiorem delineationem; vel per sceno graphiam, id. per magis politam operationem. Sumitur & exemplar, ex protoplaste, pictura, scriptura, imagine. Oratio autem, ex conceptionibus, vel dilucidis, vel confusis, vel ambiguis, veluti ad exẽplar mentis, similis exeritur. Trahitur etiã in exemplum iam iudicatum, & sufficienter per alia probatum: vt secundũ id, fieri quid dicatur benè vel perperam.

De

De septima quæstione, cuius.

CAP. XX.

HAc quæstione, de possessione, detentione, dominio eorum quæ alterius iuris sunt, agitur.

Respondetur autem ad quæstionem cuius, quod sit, aut possidentis, aut domini proprietarij, per modos acquirendi possessionem & dominiũ, per contractus licitos, per vsucapionem ex possessione cum iusto titulo, & bona fide, & tempore legitimo, habitam, vt titulo pro emptore, pro donato, pro suo, & sic de similibus. Item ad quæstionem cuius, respondetur quod sit detinentis tãtùm, vel vi, vel pręcario, vel clam, vel occupatione, vel custodia, vel ex commodato, vel depositò, vel ex locato. Accedit & accòmodæ responsioni, si res dicatur eius in cuius est potestate. In sua autem potestate habet pater, filium, filiam, nepotes: maritus, vxorem: dominus, seruum: tutor, pupillos: abbas, prior, præpositus, monachos: episcopus, clerum: dux, milites: superior, inferiores: victor, victos: Angelus, sibi commissa. Sicuti ratione authoritatis, est potestas imperatoris in regulos: regis, in subditos: magistratus, in res & personas

suæ

suæ iurisdictionis & territorij: Patris familias in domesticos: legis, in subditos: cuiusque, in ea quæ sua sunt: Dæmonis, in obsessos, Dei permissione.

De *quæstione octaua, propter quid.*

CAP. XXI.

CVm Deus & natura, ársque, quæ imitatur perfecta, nihil faciant frustrà: finè meritò & scopum rerum & actionum, inquirimus: Fines autem diuersi sunt, pro rerum varietate, boni vel mali.

Axiomata.

Semper deterius, melioris gratia est, siue sit secundum artem, siue sit secundum naturam.

Semper cuique expetendum est, cuius frui est summum.

De *nona quæstione, Quare.*

CAP. XXII.

QVia etiam proprium est hominis, nihil temerè, sed cum ratione agere vel dicere, cùm sit animal rationis particeps, in hac quæstione fit inquisitio rationis, vndè fit hinc transitus ad alias classes probationum.

De

SYNTAXEΩN
ARTIS MIRABILIS,
LIBER TERTIVS.

De *nomenclatura relationum distinguentium.* CAP. I.

TRes triades distinctionum sunt. Prior docet in quo res differãt, conueniant, vel concordent, vel contrariæ sint inter se, cum aliis, ratione accidentis vel substantiæ, seorsum vel simul. Secunda trias, habet topica à principio, medio, fine rerum, & de illis agit. Tertia differentias venatur ab eo quod maius, quod æquale, quódq; minus est. Et ita nouem sunt hic sedes argumentorum, à differentia, concordantia, contrarietate, principio, medio, fine, maiore, æquali, minore.

De *differentia, & concordantia.* CAP. II.

QVæ dicentur de differentia, eadem dicta censeantur de concordantia, per contra

contrarium.

Differentiarum & concordantiarum, alia communis erit, alia propria, alia magis propria. Communis, quam facit quodlibet accidens separabile, quod inest ratione, cuius, quid, & à seipso & ab aliis differt: hæc que differentia est separabilis. Propria, est quam constituit omne accidens proprium & inseparabile, vt coruus differt à signo accidente inseparabili, nigredine & albedine: hæcq; differentia est inseparabilis. Magis propria est, qua quid differt ab alio essẽtialiter: Sic hæc differentia, aliud ab alio facit.

Differentia esse potest dictorum, factorum, vel actionum, & rerum, siue res inanimatæ sint, siue animatæ, siue corporales, siue spirituales.

Omnis differentia vel concordantia colligitur, vel ex primis vel secundis intentionibus. Primæ intentiones sunt, qua humana cognitio vt proximiora corpori subiecto, vel rei, primùm contemplatur, cuiusmodi sunt essentialia, realia, accidentalia: primæ intentionis dicta habita ratione nostræ cognitionis. Secundæ intentionis ea sunt, ad quæ secundo loco consideratio nostra post priores intentiones attollitur, cuiusmodi sunt genera, species, numeri siue indiuidua.

Latius & vberius, differentia & concordantia, vel est nominis, vel rei. Nomen diducitur, in incomplexum, significans & cõplexum. Nomen incomplexum est, quod seorsum orationem non constituit. Significans, est nomen quod significat seu demonstrat aliquid, vel proprie, vel vniuocè, vel æquiuocè, vel comparatiuè, vel communiter, secundũq; vsum loquendi, vel translatiuè seu metaphoricè. Propriè, quando nominis & substantiæ ratio est communis: æquiuocè, cùm ratio substantiæ est diuersa, & nomen commune, siue sit æquiuocum à consilio, siue à casu, siue per analogiam. Est autem æquiuocum à consilio, quando vnũ aliquid principaliter, nomine illo significatur, & aliud minus principaliter: A casu, quando significantur plura æquè principaliter: per analogiam autem, quando per similitudinem rationis: Sicuti & metaphoricè seu translatiuè, potest differentia vel conuenientia elici per analogiam, similitudinem, oppositionẽ, varias suppositiones, per varias scientiarum acceptiones.

Complexum nomen, est illud quod orationis est constitutiuum. In oratione autẽ, differentia & concordantia consideratur subiecti & prædicati, & modus eorum: patientis & agentis, & quod vltra ea: variẽ at-

tribution

tributiones: variæ ſuppoſitiones, variæ applicationes.

Realis vel rerum differentia, ex diuiſionibus facilè colligitur: vt quando fit diuiſio totius generalis, integralis, accidentalis. generis, in ſpecies: ſpecierum, in indiuidua: totius, in partes: cauſæ, in effectus: ſubiecti, in accidentia: virtutis, in operationes: ſubſtantię, in ſuas potentias: abſoluti, in ſua comparata: vnius, in attributiones varias, per modos èxiſtendi vel eſſendi: Mixti, in ea ex quibus fit mixtio: Compoſiti, in ea ex quibus cõponitur: Continui, in continuantia: Diſcernentis, in diſcreta: Suppoſiti vel ſubiecti, in materiam & formam: Termini, in ea quæ ad eum concurrunt: ſtirpis ſeu proſapiæ, in cognatos & affines, aſcendentes, deſcendẽtes & collaterales: Artis & inſtrumenti, in ſubiectas ſibi materias & partes.

Sic de concordantia, vt alia ſit eſſentialis, integri, accidentis: ſpecierum in genere. indiuiduorum, in ſpecie: partium, in toto: effectuũ, in cauſa: accidentium, in vno ſubiecto: operationum diuerſarum, in virtute vna: facultatum in communi ſubſtantia: cõparatiuorum, in abſoluto & poſitiuo: attributionum variarum, in vno cui attributio: modorum eſſendi, in eſſentia: mixtorum,

in mixtione: compositorum, in composito: continuatorum, in continuato: discretorũ, in discernente: materiæ & formæ, in suppo sito: extremorum, in medio: stemmatum, proximiorum, affinium, in stipite vel stirpe: operationum vel actionum, in operante vel instrumento.

In summa, etiam differentiæ & concordantiæ peti possunt, à principiis & cellulis classium secundæ partis speculi artis.

Porrò, vt faciliùs differentiarum & concordantiæ habeatur ratio, subiiciam quædã quæ se eas habere doceant.

Syntagma differentiarum.

Aliud.
Alterum.
Cõfusio ex plurib⁹.
Discordia.
Discretio.
Disparitas.
Disproportio.
Distinctio.
Dissimilitudo.
Dissonantia cõcentuũ in harmonia.
Distantia.
Diuersitas.
Diuisio.
Inæqualitas.
Intercapedo.
Longinquitas.
Multiplex.
Multiplicatio.
Mixtura plurium.
Nomina, quia distinguũt, propria, agnomina cognomina, appellatiua.
Non idem.
Pluralitas.
Pronomina.
Prepositiones omnes

singulares, & demonstratiuæ.	Temperatura, dissimilium partium penetratio.
Remotio.	
Separatio.	Varietas.

Istis oppositа, habent concordiã: & præter hæc, adsunt adhuc alia, quæ concordiã indicant.

Amicitia.	Paritas.
Æqualitas.	Proportio.
Communio.	Similitudo.
Coniunctio.	Vnitas, siue ea sit totius, vt membrorũ in corpore: vel conformitatis, vt dum dicitur vnus animꝰ, vna volũtas, inéstq; similitudo: vel attributionis, quãdo plu tibus vnum tribuitur, vt dũ vna fides dicitur.
Copula.	
Conuenientia omnis: vt contractus, consensus, matrimoniũ, societas, pax, & similia.	
Consonantia.	
Concentus.	
Continuum.	
Harmonia.	
Idem.	

Axiomata.

1 Pares cum paribus, facilè cõgregantur.
2 Argumẽtum receptum est à simili affirmatiuè, à dissimilibus, negatiuè.
3 Simile simili, in aliquo communicat.
4 Nullum simile est idem.

De contrarietate uel contrario.

CAP. III.

HIc contrarium, generaliter vsurpatur pro omni oppositione. Oppositio erit, vel terminorũ complexorum siue propositionum, vel terminorum incomplexorum, vel rerum. Oppositio terminorum complexorum siue propositionum, est, quando propositiones pugnant inter se, vel quantitate, vel qualitate, veritate, aut falso. Propositio quanta, quadruplex est: vniuersalis, cuius signũ est omnis, nullus: Particularis, per quidam, aliquis, signata: Indefinita, quæ effertur cum termino communi, sine signo, vt animal est corpus: Singularis, quæ fit cũ communi termino, addita demonstratione, vt hic, ille, iste homo. Ad qualitatem propositionis pertinent, verum, falsum, affirmatio, & negatio.

Recipiunt autem hæ propositiones, oppositionem: vel contrariam, aut subcontrariam, aut cõtradictoriam, aut subalternam: Contraria, est vniuersalis negatiua, cum vniuersali affirmatiua, vt omnis nullus. Subcõtraria, dum vna propositionum est particularis vel indefinita affirmatiua, altera indefinita vel particularis negatiua. Contradictoria tum probè concepta est, quado

fit

fit oppositio affirmationis & negationis, quatuor vnà concurrentibus: si de eodē secūdum rem & vocem, si refferātur ad idē, vel sint secundum idem, si teneantur similiter: & si eodem tempore. Subalterna est, dum altera propositionum oppositarū est vniuersalis affirmatiua, altera particularis, vel singularis vel indefinita.

Terminorum incomplexorum, quorum significata mutuò pugnant, oppositiones, generaliter quatuor sunt: Sic erit oppositio vel relatiuorum, vel contrariorum, vel priuantium, vel contradicentium. Relatiuorum, vt pater, filius: duplum & simplum ex collatione, Ciceroni: contrariorum, quæ aduersa vocat Cicero, vt albū, nigrum: priuantium, vt nox, dies: contradicentium, vt albus est, albus non est.

Rerum oppositiones fiunt, ratione localis situs: vt opposita dicuntur, sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum, antè, post, infrà, suprà,

Axiomata.

1 Vsque ad contrarietatem, initia & sequentia differre non possunt.

2 Quorum esse contrarium, horum & ratio & sermo cōtrarius, & proprietates.

3 Contraria sese inuicem fugāt, & simile

attrahit sibi simile.

4 Relatiuorum vno posito, alterum per consequens ponitur.

5 Substantiis nihil est cõtrarium, sic substantia equi, non est contraria substantiæ hominis, &c.

6 Quantitas non habet contrarium: sic cubitum tricubito non est contrarium.

7 Substantiæ susceptibiles sunt contrariorum, vnum & idem numero remanentes: Dico autem susceptibiles esse contrariorum, non autem suscipere contraria, nã possunt quidẽ successiuè vnum post aliud, in se contrarium suscipere, non autem ambo simul: vt nunc corpus friget, postea calet, sed non simul & eodem momento.

8 Habitus, non suscipit contrarietatem.

Contrarietatem uel oppositionem hæc referunt.

Abrogatio.	Corruptio.
Accusatio.	Derogatio.
Æmulatio, quę cõtentionis genus.	Demolitio.
	Destructio.
Bellum.	Disiunctum.
Contentio.	Dissensus.
Contrarium.	Diuortium.
Contradictio.	Inimicitię.
Controuersia.	Iniuria.

Ira

Iurgium.
Lis.
Negatio.
Oppositio.
Repudium.
Repugnantia.
Resistentia.
Pugna.
Pertinacia.
Priuatio.
Præpositiones accusatiuo deseruientes, vt aduersus, contra, &c.
Zelotypia, discors animus.

De Principio. CAP. IIII.

DE principio, disputatio latè patet, cùm nihil sine principio sit, præter Deum, qui cùm omnium principium sit, tamen principio caret & fine.

Principium est, id ex quo aliquid oritur, & in quod extremum, omnia recurrunt: vel id, à quo aliquid procedit.

Principia omnia, aut communia, aut propria sunt: Ea autem, vel sunt, vel fiunt. Sunt quidem, à natura seu substantia: vt homo hominis, planta plantæ principium. Et in rebus immobilibus, qualitatem dixit Aristoteles principium. Constituunt & naturale principium rerum omnium, cahos, ex quo postea materia, forma, elementa, quibus & aliqui addunt athomos: facit & Aristoteles priuationem, principium.

Fiunt autem principia: vel à causa efficiente,

ciente, vel à casu, vel à fortuna, vel ab arte: Est & in homine solo principium actionum, quia is solus agere videtur. Sunt & cognitionis principia, vel elementa cuiusque artis & præcepta prima: vel demonstrationes, potissimum in mathematicis.

Rursum significantius, principium erit, vel vniuersale, vel accidentale, vel instrumentale, vel originale, vel positionis seu termini à quo, vel ordinis, vel priuationis, vel operantis & agentis. Vniuersalia principia sunt, veluti genus, species, differentia, prædicamenta. Instrumentale, est vel materiæ, vel figuræ seu formæ, vel doctrinæ, vel continentis: aut motus, qui quidem est principium vel generationis, vel corruptionis, vel alterationis, vel augmentationis, vel diminutionis. In Ordinis principio, prius multis modis dicitur, vel natura, vel ordine, vel situ, vel definitione, vel cognitione. Natura, vt minor numerus, naturâ maiore prior: animal, prius homine. Tempore, vt Abele prior Adam fuit: institutio, substitutione. Ordine, vt in Grammatica, literæ priores syllabis. Situ, vt ratione nostræ habitationis, vt nobis prior sphera Lunæ, sphera Mercurij: fundamenta, super ædifica-

ficatione priora. Definitione vel determinatione, vt dum primum ex placito dicimus consensu: vt aliquis magistratus, alio in honore prior. Cognitione, vt vniuersalia, nobis priora ipsis particularibus & singularibus: Priuationis principij, formæ sunt secundum Aristotelem. Operantis & agentis principium, id per quod aliud fit. Vt instrumentum, prius eo quod per instrumentum fit.

Axiomata.

1 Omne quod est, vel est principium, vel est ex principiis.

2 In terminis prioris & posterioris, posterius sine priore esse nequit.

3 Lapsus ab initio in elementis & principiis, postea cogitur multa falsa subiicere.

4 Principiis mutatis, multa quæ hinc cõsequuntur mutari necesse est.

5 Negatis principiis, quæ ex iis consequũtur negata videntur: sicut ex affirmatione eorundem, admissa consequentia.

6 Principium rerum quę semper sunt, aut semper fiunt, nullũ principium esse quærendum, non rectè asseritur.

7 Principia non recipiunt, quæ rerum sempiternarum sunt.

8 Difficile est quæ malo inchoata sunt, princi-

principio, bonum sortiri exitum, & contrà: quod si fiat, mutetur principium, & aliud fiat, necesse est.

9 Potest aliquid esse principium, mediũ, & finis, sed diuersis respectibus, non eodem remanente modo.

Synopsis eorum quæ quodammodo principium continent.

Agens.
Antecedens.
Authoritas.
Acquirendi omnes modi.
Causa.
Coactio.
Electio.
Genus.
Generario.
Genera, principia specierum.
Impressio.
Influxus.
Ingressus omnis, & quæ ingressũ præbẽt primum, vt limen, ianua, &c.
Initium.
Mandatum.
Metus.
Nobilitas, principiũ splendoris, dignitatis & generis.
Origo.
Obligatio, principiũ debiti.
Præcedens.
Priùs, prior.
Prædicamenta omnia.
Priuatio, prout principium Aristoteli.
Producens.
Proximus.
Præpositiones ablablatiuo deseruientes.
Species respectu indiuiduorum.

De Causis. CAP. V.

SEd quia inter principia annumerantur Causæ, trademus etiam earum breue schema.

Causa itaque diuidetur, primùm in propriè causam, & in eam quæ impropriè vel metaphoricè causa dicitur. Rursum, propriè causa, erit vel diuina vel humana. Diuina, voluntas Dei est, omnium causa: in Deo quippe causæ causarum, & primordiales causæ. Estque Deus omnium causa, vel effectiuè vel permissiuè.

Humana causa, vel efficiens, vel formalis, vel materialis, vel finalis, vel exemplaris est.

EFFICIENS est, ad cuius actionem sequitur effectus: veluti ignis calefaciendo aquam, eam reddit calidam. Ordo autem, quo causa efficiens facit, hic est, quia disponit, præparat, conciliat, perficit. Efficientium autem causarum, quædam est antecedens procatartica, quædam coniuncta: item alia totam producit rerum substantiam, ea causa, solus Deus qui creãdo totam producit: Alia producens secũdum partem, hæcque est agens creatum, quod solùm introducit formam in materia, verùm non producit materiam, saltem primam.

primam. Deinceps & efficientium, alia vniuersalis, alia particularis : vniuersalis causa efficiens, quæ potest effectus plures distinctos specie, producere: talis Deus, qui propria virtute producit: sic etiam sol, causa cum planetis reliquis hæc inferiora producens. Particularis est causa efficiens, quæ vnum solum producit effectum : Vt homo producit hominem, arbor quælibet proprium fructum. Postremò & causarum efficientium, alia subordinata essentialiter, alia subordinata accidentaliter. Subordinata essentialiter est, quando vna causa sine alia agere nequit, veluti luna sine aliis non operatur planetis. Sic in generatione, homo & sol, causæ subordinantur. Subordinata causa accidentaliter, est veluti in motu lapidis per baculum, manus & baculus subordinantur accidentaliter.

FORMALIS causa est, quæ dat esse, intrinsecè, per se ipsam: vt anima, rei animatæ causa. Dico intrinsecè, vt differat ab efficiente & finali, quæ dant extrinsecè esse: Dico etiam per se ipsam, vt differat ab efficiente, quæ actione sua dat causam. Porrò hæc formalis, vel idealis, vel essentialis est, vel accidentalis. Causa formalis, duo potissimum agit, Primùm, facit aliud

ab

ab alio differre: Secundò, restringit materiam primam à potentia ad actum: vt calorem, ad ignē, ad hominē, ad arborē: coloré, ad rubrum, ad album &c. Et ita dat esse rei.

MATERIALIS causa est, quæ recipit formam & conseruat eam: Quia præter animam rationalem, nulla res habet esse per se, sed in alio, scilicet in materia. Quamobrem separata à materia corrumpuntur (vt anima bruti corrumpitur mortuo corpore animali) habéntque tandiu esse, quandiu in materia recepta sunt. Causa itaque conseruationis in esse, est materia: Neque accidentia sunt, vel conseruantur, sine materia secunda cui hærent: Nec anima intellectiua actu est, misi quandiu existit in corpore, velut in materia.

FINALIS causa, est quæ incitat & mouet agentē ad agēdum, nempe alicuius gratia: sic sanitas, medicinæ causa: æqualitas & bonum, causa finalis iudicij, & omnium magistratuum. Erit autem finalis, vel impulsiua, vel subordinata, vel vltima.

Exemplaris, est idea secundum Platonē.

IMPROPRIE' & metaphoricè causa est dicta, primùm occasio, vnde quærere causam dicim⁹, pro occasione. Deinc, Ratio, vt dicimus causam reddere. Item controuersia iudicialis, dicta Græcis Δίκη,

cuius

cuius genera tria sunt, Nempe τὸ ἐπιδεικτικὸν εἶδος, idest, demonstratiuum genus: secundum τὸ συμβουλευτικὸν, deliberatiuum. tertium τὸ δικανικὸν, iudiciale: in quibus consideramus qualitates, si honestum, si admirabile, si humile, si anceps, si obscurum genus sit.

Alia causarum diuisio, per modos quibus operantur.

Causæ à modis quibus operantur, diuiduntur in priores & posteriores, per se, per accidens: in simplicem, & compositam: in eam quæ est in potentia, & quę in actu: in extrinsecam, & intrinsecam: in cõmunem, & propriam. Priores causæ, dicuntur & superiores, & mediatæ, & remotæ: vt sol, est causa remota generationis hominis. Posteriores causæ, vel proximæ, vel propinquæ dicuntur: vt homo causa proxima generationis hominis. Per se causa est, quæ propria virtute producit effectum. Per accidens autem, quæ non secundum propriam virtutem producit effectum, sed in quantum coniungitur effectui per se, vel aliæ causæ per accidens. Prioris exemplum est, vt qui remouet columnam cui innititur ædificium, causa est per accidens, iuncta effectui per se, cur ædifi

ædificium collabatur: Secundi membri exẽplum, in hac propositione erit, Nobilis vir legit. Nam quod quis sit nobilis, per accidens est, iunctum alteri accidenti, nempe lectioni. Cæterùm per accidens, oriuntur causæ, vel à casu, vel à consilio, vel à fortuna, vel ab occasione: A casu, veluti quando nihil agenti, aliquid sinè proposito accidit: A consilio, quando per inquisitionem ex proposito aliquid aduenit. A fortuna, dum ei qui agit, aliquid citra eius actionis propositum contingit: Ab occasione, dum ex modico principio alia facilè sequuntur.

Simplex causa: sicuti dum perficiens vna absoluit causa, ibi enim adest quod perficit: Estq; hæc causa, prolata per terminum incomplexum.

Composita causa, quæ terminis complexis significatur: vt homo hispidus, perficiẽs perfecit, ibi enim causa per se, perficiens, per accidens autem, hispidus.

In potentia causa esse dicitur, quæ actu non efficit, sed quæ potest efficere, vel causare, quæ exprimitur per nomen verbale: quale, lector, auditor, creator, dominator &c. quibus significantur qui possunt legere, audire, creare, dominari, &c, quamquam actu non id agant.

In actu causa est, quæ agit, vel effectum

causat & producit, quæ exprimitur per participium præsentis temporis, vt legens, audiens, creans, dominans, &c. Reliquæ causæ per se satis patent. Si quis autem desideret cognoscere, quę causæ sint in nostra potestate, quæ ve extra nos, consulat diuisiones potestatis, de quibus in classe transcendentium dicitur.

De Medio. CAP. VI.

VIa qua peruenitur ad finem, Medium est, quod ab extremo vtroque æquè distat.

Medium autem, vel rei solius, vel orationis solius, vel rei & orationis simul.

Medium rei, exempla plura habet & distinctiones: Tale enim constituit commixtio, vnde vnum: coniunctio, cui extrema adhęrent: Mensura, inter inæquale & mensuratum: Eius modi, æquale, iustum sine differẽtia, participatio, comprehensio, duo vel plura continens: via, per quam ab vno loco in alia, æquali spatio itur: Priuatio, ab eo quod fuit ad id quod est transitus: Destructio, qua ex vno aliud: constructio: his enim postremis mediis, forma mutatur rerum: Medium & mediocritas: temperamentum: Instrumenta, media operis & artis.

Orationis media, negatio & affirmatio:

in

in quibus adhuc aliud medium, tacere: illa autem media, dicuntur ratione expressionis mentis & expressi: Est & orationis medium Problema, destructio propositionis: coniunctio verbalis, vt, vel, ve: item dictiones, inter, intra. Ex quibus patebit, si coniungantur, quid sit medium rei & orationis simul.

Axiomata.

1 Media, diuersorũ cõparatione, & exuperare & deficere possunt, sicut & æquale.
2 Quæ magis à medio absunt, magis opposita existimantur.
3 Medium in omnibus tenere, optimum.

Synopsis eorum quæ medium quodammodo continent.

Æquum, æquale.
Affirmatio.
Coniunctio.
Comprehensio.
Constructio, mediũ collectionis.
Destructio, mediũ dissolutionis.
Indifferens.
Instrumentum.
Iudex.
Magistratus.
Mediocritas.
Mensura.
Negatio, medium solutionis.
Participatio.
Pecunia, medium cõmerciorum.
Priuatio.
Proxeneta.
Tacere.

Virtus omnis, medium inter exuperantiam & defectum, in quibus vitia.

De Fine. CAP. VII.

VEtus adagium est, non statim cum initio finem sperandum: ideo de medio anteà dictum.

Generaliter, tot modis finis dicitur, quot principium & medium, post quæ finis.

In summa, Finis, vel est priuationis, vel termini, vel consummationis, vel consumptionis, vel corruptionis, vel intentionis, vel extremi. Priuationis autem est, vel naturalis vt mors, corruptio: vel moralis, vel artificialis, cùm artifex formam priorem tollit, vt dum fusione statuæ figuram elidit. Termini finis, exemplum habẽt limitem: Consummationis finis, in perfectione determinata est operis. Finis Cõsumptionis, dum aliquid deficit: sic dicimus, finẽ cibi, candelæ, materiæ, formę, & dum quippiam desinit esse, operari, pati, dicere, credere, opinari, vel aliud facere. Finẽ corruptionis norunt omnes: Intentionis autem finis est, id, ad quod quippiam dirigitur, siue sit mẽs siue actio, dicitur & scopus, & id cuius gratia aliquid fit: sic finis medicinæ, sanitas: finis iuris, iustitia.

Finis

Finis extremi, est vel substantiæ, vel accidentis, vel temporis, vel loci, vel quantitatis, vel qualitatis.

Axiomata.

1 Omne quod nascitur, & finem habere necesse est.

2 Non omnes fines perfecti, sed ad aliud quiddam: & propter vnum quodq; tale, & illud maius.

3 Ignorata finali causa, ignorantur & ea, quæ ad eum finem pertinent, & eius gratia sunt.

4 Omnia, in natura, alicuius finis gratia, nec temerè sunt.

5 Nullus in rebus creatis processus ad infinitum, quia creata determinata sunt.

Synopsis eorum quæ finem quodammodo continent.

Acceptilatio.
Consummatio.
Consumptio.
Corruptio.
Effectus.
Euentus.
Exitus.
Extremum.
Iuramentum.
Intentio.
Implementum.
Limes.
Mors.
Nouatio.
Obiectum.
Perfectio.
Portus.
Postremum.
Priuatio.
Putrefactio.

Propositum. Status.
Quies. Sententia iudicialis.
Scopus. Solutio.

De Maiori, Minori, & æquali.

CAP. VIII.

MAiora aliis, excedunt: Minora, ab aliis deficiunt: quæ sine excessu & defectu, similia æqualiáq; dicuntur.

Cæterùm Maioritas, liceat vti verbo artis, & minoritas, atq; æqualitas inter substãtiam & accidens esse potest, ordinis, dignitatis, præstantiæ, numeri, qualitatum, ætatis, corporis, spiritus. Ordinis, vt maiores in stemmate antiquiores, & senatores maiores, minorúmve gentium. Dignitatis, vt imperium, maius magistratu. Præstantiæ, vt in æstimatione negotiorum & eorum consequentia. Numeri maioris vel minoris, partis vel æqualis. Qualitatis, vt sanior melior pars &c. Ætatis, vt senis & iuuenis. Corporis vel molis, vel quę eorum sunt: vt procerus, pigmæ⁹ &c. Spirit⁹ & quę ei⁹ sunt.

Axioma.

In eo ꝙ pl⁹ est, & qđ min⁹ est cõtinetur.

SYNOPSIS eorum quæ maius & minus, & æquale referre videntur, colligi potest ex principio Magnitudinis in transcendentibus.

SYNTA-

SYNTAXEΩN
ARTIS MIRABILIS,
LIBER QVARTVS.
Vbi de Transcendentibus.

De Bonitate. CAP. I.

BOnitas, quasi ens boni.

Itaque Bonitas, est ens, fons causáq; & origo boni totius, & essentiæ, & actuum, qui priuatione non superantur in eodem subiecto & tempore.

Omnia quæ sunt, vel bona, vel mala, vel adiaphora sunt: Adiaphora bona vel mala esse possunt, vti voluntas, otium, volùptas, & similia.

Diuisio Bonorum.

BOnorum, alia sunt bona finis, alia propter finem: & ideo rursum Bona, quædam secundum quid, alia simpliciter: Secun

dum quid, vel potentia naturæ quæ adesse consueuit: vt pueris & furiosis, inest potentia bonum rationis: vel secundum alterius, non præsentis considerationem. Simpliciter bona, dicuntur quatenus res tales sunt actu, potentia in actum deducta, siue sint morum, siue actionum, siue accidentium. Tertiò, bonorum alia necessaria, alia non necessaria. Necessaria, veluti vita, pudicitia, libertas, liberi, coniuges, cognati, parentes: per se eligibilia, vt virtutes, & similia. Non necessaria, quæ aut per se expetenda, vt munera, honores: vel ratione alterius optanda, quia aliquod adferant commodum: qualis est mercatura, ratione lucri: victoria, ratione pacis: & vt alia nobis quæramus, opes.

Quarta bonorum diuisio, in eorum electione obseruanda: vt aliud bonum sit perfectè absolutum, aliud bonum secundum quid, aliud imperfectum. Bonum perfectè absolutum, Deus solus, summum bonum: Bona perfecta secundum quid, sunt, aut ratione conuenientis naturæ propriæ, certæ speciei, vel generis, vel determinationis: aut relatione ad aliud magis perfectũ. Imperfectum bonum, est quod aliud desiderat.

Ista, & alia bona, rursum diducuntur, in

bona

bona animi, corporis, externorum siue fortunæ.

Colligi & aliæ bonorum possunt distinctiones, à substantiis & accidentibus.

Gradus autem bonorum, tres. Primus & supremus supra ideas, in Deo, ens, genus ad omnes ideas, Deus ipse omnium creator. Secundus, inter ideas, in his quæ perfectiones rerum significant, sicuti dicemus ideam iusti, iustum: honesti, honestum: imparticipabile quippe est bonum, nisi sit in essentia. Tertius gradus, in bono à nobis participabili sub essentia: sic bona omnis essentia, secundū naturam, quia omnia esse appetunt.

Contrarium Bonitati, Malum.

Synopsis eorum quæ bonitatem referunt.	*His repugnant.*
Acceptabile.	Repudiandum.
Accommodum.	Incommodum, malè conueniens.
Actio.	Otium.
Æquum, iustum.	Iniquum.
Benemeritum.	Malemeritum.
Beatitudo.	Infœlicitas.
Benignum & omne cōpositū ex benè, vt benedictio. &c.	Ferū, malignum. immite. Omne compositū ex malè, vt male ς leficum,

	leficum, maledictio.
Communicatio, vt liberalitas.	Restrictio, auarum, tenax.
Commodum.	Incommodum, dam-
Commodatum.	num, damnosum.
Concessum præcario.	
Congruum.	Incongruum, dispar.
Conueniens.	Inconueniens.
Constructio.	Destructio.
Dans fructum.	Sterile.
Debitum.	Indebitum.
Desiderabile.	Fugiendum.
Dei dona & facta.	Opera cõtra Dei mãdata.
Dignum, dignitas: vt honor, magistratus.	Indignum.
Diffusio.	Parcitas nimia.
Donatio.	
Esse, essentia.	Non esse.
Fœlicitas.	Infœlicitas.

Synopsis, eorum quæ bonitatem referunt.	*His repugnant.*
Gratum.	Ingratum.
Honestũ, honestas, decus.	Inhonestum, turpe, dedecus.
Mortis, & eorũ quę	Obliuio inc õsiderata

mort

mortem sequũtur, cogitatio.	eorum quæ mortis sunt.
Nobilitas, Nobile, clarum.	Ignobile, rusticitas, rude, inciuile.
Pax.	Dissidium, dissentio.
Perfectio.	Imperfectio, imperfectum, mancum.
Pulchrum.	Turpe & deforme.
Ratio, Rationabile.	Irrationale, Temerarium.
Sanctum.	Pollutum.
Tranquillum.	Inquietum, turbidũ.
Verum.	Mendacium, falsum.
Vtile, lucrum.	Iactura rerum, sine vtilitate.

Bonitatis Axiomata.

1 Vna est Bonitas naturâ & essentia, eaq; increata, Deus: Reliqua, bona sunt participatione, aut per creationem.

2 Tot sunt species mali quot & boni, & contrà: & quæ de vno affirmatiuè, eadem de contrario negatiuè dicta censentur, & contrà.

3 Bonitati inest bonum esse, & bonum facere posse: consideratur & in eadem bonitate, id quod bonum fieri potest.

4 Bonum, mali est remedium: malum, velut morbus.

5 Bonum,

5 Bonum, dilatãdũ : malum, contrahendũ.
6 Bonũ & ſtudioſum fieri poteſt animal, naturâ, moribus vel conſuetudine, ratione & doctrina: naturâ, cùm naſcitur: moribus cùm imitatur: ratione, cùm docetur & ratiocinatur.

Axiomata, Circa electionem boni.

1 Bonum melius, eligibilius : In malis, duobus, vtrumq; ſi fieri poſſit, vitandum: ſaltem peius, potius eſt fugiendum.
2 Meli⁹ dicitur, collatione alterius boni minoris, ideſt, quando id quod melius dicitur, id quod minus eſt continet, & aliud quippiam præterea : Malum maius, quod magis & plus adimit ab eo quod bonum eſt, vel quod bono magis officit.
3 In bono finis, vix erratur: facilè tamen decip mur in bonis ad finẽ tendentibus.
4 Præſtantiora bona finis, bonis tendentibus ad finem.
5 In vnaquaquæ arte licita, bonum inuenitur ſecundum artem, & melius.
6 Quantò finis præſtantior, tantò melior.
7 In homine, bona meliora animi quàm corporis.
8 Bonũ perfectum, melius imperfecto.
9 Neceſſa-

9 Necessaria bona, in necessariis præponenda:
10 Et plura, paucioribus.

De Magnitudine. CAP. II.

MAgnitudo, est extentio vel intentio cuiusque rei, ex qua magna dicitur. Magnitudinũ, alia increata, alia creata: alia in potentia, alia in actu: alia perfecta, alia imperfecta. Increata, est illa quæ immensa, indeficiens, infinita, supereſſentialis, Dei scilicet, & Deus ipse. Creata vel spiritalis, vel corporalis est. Spiritalis, est quæ intensionem non extensionem propriè habet: vt angeli & animæ magnitudo: Corporalis, quæ molem habet. In potẽtia illa est, quæ dicitur in fieri. In actu, in eo quod est. Imperfecta autem dicetur, ratione alterius corporis magis absoluti: Sic linea, minor superficie, illa enim vnam, hęc autem duas habet dimensiones. Perfecta dicetur corporum magnitudo, vt corporis, quæ tribus constat dimensionibus, longitudine, latitudine, profunditate. Itẽ perfecta erit, ratione destinationis seu determinationis factæ, aut ratione distributæ naturæ.

Dicetur & in homine magnitudo esse triplex, corporis, animę, externorum. Est in corpore magnitudo, proceritas, crassitudo, &c.

do &c: In anima, magnanimitas, audacia &c: Inter externa, opes, dominatio, imperium. &c.

Synopsis eorum, quæ magnitudinem reffe= runt.	*His repugnant.*
Abundantia.	Penuria.
Amplitudo.	Anguſtia.
Adiunctio.	Diminutio.
Auctio.	Detractio.
Capacitas, comprehenſio, continens.	Incapacitas.
Communio.	Partitio.
Copia.	Inopia.
Dignitas omnis, & maieſtas.	Status priuatus.
Diuitiæ.	Paupertas.
Excellẽtia, excellẽs.	Vilitas.
Egregium.	Infimum.
Extenſio.	Reſtrictio.
Eſſentia omnis.	Nihil.
Exuperantia.	Defectus.
Fœcunditas.	Infœcunditas.
Fertilitas.	Sterilitas.
Immenſum.	Mẽſurabile & apprehenſibile.
Infinitum.	Finitum.

Inflatio.

Inflatio. Tumor.	Depressio.
Insigne.	Obscurum.
Intentio.	Remissio.
Liberalitas.	Auaritia.
Multitudo.	Pauci.
Sublime.	Infimum.
Sufficientia.	Insufficientia.
Vehementia.	Remissio.

Axiomata Magnitudinis.

1 Intensum magnum, perfectius suo extenso: intensio in spiritualibus, extensio de incorporalibus dicitur.

2 Magnum & paruum, cõtraria nõ sunt, sed dissimilia: Refferuntur enim ad aliquid.

3 Id quod magnum est, quatenus paruo opponitur, constituit tandiu quandiu oppositio durat simul, quodammodo contrarium.

4 Nulla essentia Magnitudinis spiritualis, quæ intensionem solam, non extensionem recipit, verè in partes diuidi potest, remitti tamen potest. Diuiduũ quippe, interitui obnoxium est, à quo spiritualis substantia aliena est.

Caroli Bouilij Magnitudinis regulæ.

1 Omnis magnitudo, in eo quod est actu,

ctu finita, continua est:& infinita diuisione, partibilis.

2 Non contingit aliquando, magnitudinem totam,ac omnino esse diuisam.

3 Magnitudinis partes, sunt potentia finitæ,actu verò,infinitæ semper.

4 Impossibilè est, omnes magnitudinis partes assignari.

5 Magnitudo tota homogena est, cuius quælibet pars est magnitudo. Constat enim ex similaribus partibus quæ sunt eiusdem speciei,vt lineis pluribus.

6 Diuisa vtcunque magnitudine, impossibile est terminos relinqui.

7 Impossibile est, ex suis terminis magnitudinem constare.

8 Ex punctis,nulla magnitudo crescit.

9 Magnitudines omnes, ad tres reducuntur species: linearum, superficierum, & corporum: Sola tertia, perfecta est, tres terminos & interualla possidens:duæ reliquæ,imperfectæ.

De Duratione uel Perseuerantia.

CAP. III.

DVratio, est colligatio temporis.

Duratio itaque, id est, ratione cuius quid est, etiam nunc,&, vt cum arte loloquar, qđ existētiā demōstrat:exhibētq; vel

vel præteritum, vel præsens, vel futurum, vel vtrumque. Et in summa, quod perseuerat, in eo quod est, durare dicitur: Sic durum in corporibus, quod tactui non cedit.

Duratio, alia extra omne tempus, alia in tempore, alia ex vtroque mixta. Extra tempus omne est sempiternum, vnde, (liceat declinare nomen, demonstrationis gratia) sempiternitas, quæ solius Dei, sine initio & fine existens. Duratio Temporanea, est generabilium & corruptibilium, quæ semper esse nequit, sed ad certũ vsq; tempus. Mixta duratio, æterna & æternitas dicta, quæ habuit quidem principium, sed habitura nequaquam est finem: & quæ in tempore existens, sine tempore futura & victura est: Qualis duratio Angelis bonis & malis, & animæ, imo ipsi humano erit corpori, post resurrectionem & anastasin generalem & vltimam.

Synopis eorum quæ durationem referunt.	*His repugnant.*
Aeternitas.	Quæ hæc negant.
Aeuiternum.	
Aetas omnis.	Mors.

Antiquum.	Recens, nouum.
Conſtantia.	Inconſtantia.
Cõtractuũ, pactorũ, iuramenti vis.	Reſciſio contractuũ.
Confidentia.	Diffidentia.
Conſiſtentia.	Mobilitas.
Continentia.	Incontinentia.
Durities.	Mollities.
Exiſtentia.	Priuatio, corruptio aliquando.
Firmitudo, vel firmum.	Infirmitas, debilitas.
Fidelitas, fides.	Infidelitas.
Immobile, pro tẽporis & negotij definitione.	Mobile.
Inſolubile. Immortale.	Diſſolubile. Mortale.
Nobilitas.	Ignobile. nuperrima agnitio.
Nunc.	Præteritũ, aliquãdo.
Patientia.	Impatientia.
Perpetuum.	Tranſitorium.
Permanens.	Fluxum.
Perſeuerans.	Mutatio.
Præſens.	Aliquando.
Spes.	Deſperatio.
Stabilitas.	Inſtabilitas.
Sanitas.	Morbus.

Teſtipo-

Temporis indicia: qualia, ſeculum, annus, Mẽſis, hebdomada, dies, hora, ſextãtes: Nam hæc ſe mutuò cõtinent & ſuccedũt ſibi.	Quod non habet tempus durans, vt momentum, athomus.
Vita.	Mors.

Axiomata.

1 Omnis duratio diutius perſeuerans, cęteris partibus, perfectior.

2 In omni duratione, conſiderari poſſunt quatuor: antè, nunc, poſtea, ſemper, quæ nunquam tamen ſimul in aliquo ſunt: Sẽper & nunc, tantùm in Deo. Antè & nunc, in exiſtentibus & deficientibus: Antè, & nunc, & poſtea, in anima & ſpiritu, & ſi qua ſit materia incorruptibilis: Hæc enim cùm creata ſint, ſemper non fuerunt, & tamen habitura finem non ſunt.

3 Vnaquæque res tantò diuturnior, quãtò eius cauſa efficiens, efficacior eſt.

De *Potentia.* CAP. IIII.

POtentia, eſt ens, ſiue principium & virtus, aut tranſmutationis in altero, aut prout alterum eſt.

Potentia, aut infinita, aut finita est. Infinita, sinè principio, sinè medio & fine: Hæc in Deo solo est, imo Deus ipse ista potentia: Quando nihil in Deo sit, quod non sit Deus, ex quo aliæ potẽtię omnes, vel permissiuè vel effectiuè oriuntur.

Finita Potentia duplex, actiua & passiua: vtraque, vel naturalis vel extra naturam. Naturalis rursum, vel ea rerum ipsarum natura est, vel ex alicuius legis aut consuetudinis constitutione. Ex rerum ipsarum natura potestas, subdiuiditur in rationalem & irrationalem. Rationalis, quæ in anima, & in angelica dicitur esse natura: Irrationalis, & corporis, & externorum esse potest, interdum latens occultáve nobis, aliquando apparens.

Potestas ex legis vel consuetudinis constitutione procedens, est veluti ea quę dignitatis, magistratus, principatus, est. Eáq; vel legitima, à Deo vel alia optima lege definita: vel illicita & vsurpata, Deo permittente, qualis Tyrannorum authoritas, Dæmonum obsessio, impiorum gubernatio.

Extra naturam potestas dicitur, vel quæ contra naturam, vel quæ præter ordinem naturæ, vel extra id quod naturâ licet. Cõtra naturam, veluti quando grauia, quæ

natura

natura deorsum, vt ad centrum proprium tendunt, sursum potestate alia, impelluntur. Tales sunt operationes aliquando miraculorum verorum, prodigia, & his similia. Præter ordinem naturæ potestas, casus est. Extra id quod naturâ licet, vis, abusus, &c.

Latius & significantius, Potestas omnis oritur, vel ex his quæ sunt extra nos, vel quæ sunt in nobis, vel ex mixtis ex illis. Quæ sunt extra nos, habere causam dicũtur, à Deo, à necessitate, à fato, à natura, à fortuna, à casu, ab homine. A Deo, est substãtia rerum & prouidentia earum. A necessitate, illa, quæ ferè semper eodẽ modo contingunt: A fato, quæ ex destinatione Dei, quæ & necessitati subiacent pro Dei nutu. A natura, generatio, auctio vel incrementum, corruptio, vnde Plantæ animalia, metalla & similia ex causa determinata. A fortuna sunt, quæ rara sunt, & insperata seu non expectata agenti secundum propositum, cùm aliud quàm inquiratur, inquirenti euenit, & præter id quod euenire natum est, vel solet ex eo quod agitur: vt si quis effodiens sepulchrũ, thesaurum inueniat. A casu procedũt, quæ & inanimatis contingere possunt, neque ex determinatis sed præter propositum,

aduenių̃t. Ab homine, vis & violẽtia: quæ vel impulsiua, vel expulsiua, vel turbans, vel inquietans, vel metus maior, scilicet mortis infamiæ, morborum, turpitudinis, & similium, dicitur. Potestas quæ pendet ex his quæ in nobis sunt, est in voluntate, ex qua principia nostrorum operum, in quibus locum habet consultatio & electio, potissimum in adiaphoris & contingentibus: vt & velle, & agere, & desiderare, num velimus artes addiscere, & his similia.

Potestas ex mixtione eorum quæ pendent ex nobis & aliunde, habet actiones, quæ quidem ex nostra fiunt voluntate, sed quæ vi impediuntnr extrinseca. Potestas & alia, mixta, ex his quæ ex nobis non sunt, sed tamen habent occasiones ex his quæ ex nobis vel in nobis: quales sunt retributiones actionum nostrarum bonarum vel malarum, in hoc vel alio seculo: Talis etiam corruptio, mórsque, nobis contingens exscelere à primo parente commisso.

Synopsis eorum quæ potentiam referunt.	*Repugnant his.*
Agere.	Succumbere.

Autho

Authoritas.	Sine authoritate.
Dignitas.	Priuatum.
Diuitiæ.	Paupertas.
Dominatio.	Obedire.
Facultas.	Prohibitio efficax, vel impedimẽtum.
Fortitudo.	Debilitas, timor.
Idoneum.	Non idoneum.
Iurisdictio.	Sine iurisdictione.
Libertas.	Seruitus.
Magistratus.	Siue magistratu.
Præcipere.	Obtemperare.
Principatus.	Famulat⁹, subiectio.
Patrem esse.	Filius.
Potestas.	Impotentia.
Robur.	Infirmitas.
Vis, omnis virtus.	
Violẽtia, & ea omnia per quę vis infertur, vt arma, lapides, coactio &c.	Resistentia.

Axiomata Potentiæ.

1 Omne sempiternum abstractum & necessarium, est actus, nec est in potentia passiua.

2 Potestatum, aliæ considerãtur, veluti efficientes in effectu, sicuti intellectus in intelligibili: alia est in fieri, per quam

aliquid fieri possit realiter.

3 Potentia quæ actum suum bonum assequitur, perfectior & melior, quã cùm in fieri erat.

4 In malis, actus malus, ideo & peior eius potentia.

5 Omnis potestas à Deo est, vel effectiuè vel permissiuè.

6 Potentiæ signum est, tendere vel progredi ad esse: impotentiæ autem, ad non esse.

7 Nulla est in natura potentia passiua, cui non respondeat vel adsit alia potestas actiua.

8 In potestate nostra legitima ea esse non censentur, quibus boni mores, lex, aut constitutio iusta, vel ius, vel æquitas firma & recepta, repugnant.

9 Nihil potest esse simul in potentia formali, & in actu formali, respectu eiusdem: veluti nihil est eodem tempore & eodem modo, actu & potestate calidum: Potest tamen aliquid esse, in actu, (vt dicunt) virtuali, & in potentia formali simul.

10 Vnum quodque intelligitur, in quantum est actu, non inquantum est in potentia: Quia intelligere, est actus, idcirco & id quod intelligitur debet esse in

in actu: Quod etiam ad veri & falsi intellectum referendum est.

11 Potentia naturalis, aptitudo, & impotentia, qualitatis sunt species.

12 Quæ impossibilia sunt factu, in eo ipso non admittunt, obligationis vel iuris vinculum.

De Cognitione. CAP. V.

COgnitio, est rei latentis vel ignoratæ manifestatio vel declaratio. Cognoscimus, coniectura, definitione, consecutione, & aliis modis, de quibus in primo libro.

Cognitio, alia creata, alia increata. Increata in Deo solo est, hæcq; sola perfecta, ab vno rei extremo vsque ad aliud, ex integro permeans.

Creata, vel acquisita, vel connata est. Acquiritur autem, vel propria inquisitione, & proprio labore, vel aliorum ope. Connata illa est, quæ ex Dei constitutione cuique animalium naturæ, indita est, vt ea vtatur quando organa ad eam erunt exerendam idonea.

Creata autem omnis, in intellectualem, rationalem, æstimatiuam, sensualem, & instinctum diuidetur. Intellectualis, est quæ formatur vnico actu, veluti vnico in-

tuitu manifestans : qualis inuenitur in angelis, & hominibus : Dicemus eius generis, scientiam infusam, quando plurium cognitio simul & semel à Deo, notionis fit in mentem infusio : non secus ac in arte typographica, plures orationes & sententiæ simul & semel, vna præli depressione, papyro excipiuntur: eo modo Prophetia, & similia cognoscuntur.

Rationalis cognitio, vel opinio vel scientia dicitur. Omnis autem scientia, vel speculatiua vel practica est. Speculatiua scientia, vel realis, vel rationalis. Realis speculatiua triplex, metaphysica, physica, mathematica: prior, de rebus supernaturalibus, secunda, de naturalibus, agit: tertia, de quatuor demonstratiuis, de astrologia vel astronomia, de musica, de geometria, de arithmetica.

Rationales speculatiuæ scientiæ, grammatica, dialectica, rhetorica, poëtica, historia: Addere licet iuris scientiam, & eius species nouem: nempe, ius diuinum, naturale, gentium, pontificium, ciuile, ius consuetudinis, honestatis, necessitatis, & aliud quod ius positiuum.

Practica scientia, vel actiua vel factiua est. Inter actiuas, erit Politica, quæ ad tractandas res ciuitatis pertinet: Ethica quæ

ad

ad mores: œconomica, quæ ad domestica pertinet. Factiua practica scientia, continet mechanica, vt, lanificium, militiam, nauigationem, agriculturam, medicinam, venationem, fabriles & reliquas mechanicas artes.

Æstimatiua, est cognitio illa quæ generatur in parte capitis eius nominis, in æstimatiua inquam, ex distinctione reali, & collatione eorum quæ sensibus comprehenduntur, & hæc adest quibusdam animalibus perfectioribus.

Sensualis cognitio est, quæ fit per sensus exteriores & interiores, ex propria obiecti apprehensione.

Instinctus, est quædam species cognitionis in animalibus omnibus, & in plantis, & aliis inanimatis, per sympathias & antipathias manifesta.

Synopsis aliquorum,

quæ cognitionem refferunt.	*Repugnant his.*
Ars omnis, liberalis vel mechanica, & arte facta.	Temere & sine arte facta.
Certitudo.	Incertum.
Coniectura.	
Consilium.	Inconsultè factum.

Distin-

Distinctio, separatio, diuisio.	Confusio.
Doctrina.	Incognitū. Ignorātia.
Experientia.	Inexperientia.
Fides.	Dubitatio.
Gradus omnes, quibus scientes ornātur insignib⁹: Præceptoriatus, Bachalaureatus, prolytatus vel licētiatura, magisterium, doctoratus.	
Industria.	Sine industria.
Intelligentia.	Ignorantia.
Iurisperitia.	
Lex.	Leleges.
Opinio.	Error.
Ordo.	Inordinatum.
Peritia.	Imperitia.
Prædestinatio.	
Prænotio.	Incognitum.
Præscientia.	Improuidentia.
Prognosticatio.	Mendacium.
Prudentia.	Imprudentia.
Ratio.	Irrationale.
Regulæ præscriptio.	Irregulatum.
Reprobatio.	
Sagacitas.	Stultitia.

Sapientia.	Insipientia.
Scientia.	Obliuio.

Axiomata Cognitionis.

1 Principium scientiæ est, demere ex animo se aliquid scire, opinionem.

2 Naturalia, non possunt exponi ab homine, expositione perfecta: Neque potest studio consequi homo, vt sciatur, inquiunt periti, pars principiorum suorum.

3 Naturalia, sunt rationibus inuestiganda: moralia, vsu comparanda: diuina verò, per oracula sacra intelligenda.

4 Melioris conditionis non debent esse stulti, peritis.

5 Cuilibet naturę intellectuali proprium est, vt intelligat secundum modum suæ substantiæ.

6 Scienti, intelligenti & volenti, non fit iniuria.

7 Iurisconsulti, in his quæ scientiam exigunt, paria existimant scire, & nescire, si vtique scire quis debuisset & potuisset.

Subnectere & placet, Pauli Ricij, centũ conclusiones scientiæ.

Conclu

Conclusiones quibus resolutiué modum sciendi assequimur.

Prima classis.

1 Omnes, naturâ scire desiderant.

2 Qui naturâ scire desiderat, idipsum sine externo adminiculo, assequi potest.

3 At quamquam id assequi naturâ possit, pluribus tamen, præsertim orbatis oculis, ars ipsa auxiliatur.

4 Ars, modúsque sciendi (non enim sciẽtia) est ea facultas, quam logicam dicimus.

5 Logica quę modum tribuit sciendi, nihil aliud, quàm conceptus rationis moderari, proponit.

6 Moderantur conceptus, si concipiendis rebus ab extrà, conformes illis statuuntur.

7 Conformes fiunt conceptus, si eo pacto rem concipimus, quo res ipsa est.

8 Est autem res quæque concipienda, per esse suæ causæ.

9 Per essentiæ causæ itaque conceptionem, rem ipsam concipiamus oportet.

10 Quando per causam cognoscimus, demonstrationem appellamus.

11 Demonstratio, ex ignotioribus ad notiora perducit.

12 Notiora sunt, vel naturæ & nobis, vel naturæ & non nobis, vel nobis & non naturæ.

13 Quod naturæ notius est & non nobis, nullam demonstrationem statuit.

14 Quod nobis & naturæ, demonstrationem facit, quæ tamen vera demonstratio non est.

15 Quod autem naturæ & nobis, id in duplicem considerationē cadit: Nam, aut idem est notius nobis & naturæ, non autem eodem modo, quia non secundum habitudinem quam habet ad ignotius, aut sicut idem, sic & eodem modo.

16 Primum, demonstrationē dat propter quid: quia scio rem per causam, hanc autem esse rei causam ignoro.

17 Secundum, demonstrationem simpliciter constituit. Rem enim scio per causam, & quoniam est causa.

18 Simpliciter demonstratio, ipsum quod simpliciter est scire nobis largitur, qua humani generis perfectio tota consistit.

Conclusiones quæ pertinent ad modum ordinandi resolutiuè doctrinam quamlibet, & ad cuiusuis libri quæsitiq; subiectum, discernendum.

Secun

Secunda claſsis.

19. 1 Humanum genus, perfectionem exoptat:
20. 2 Hanc aſſequitur, dum ea poſſidet quæ ſua natura exoptat:
21. 3 Poſſidet hæc, dum à ſuo principio, ea ſuſcipit actu:
22. 4 Suſcipit, dum principio coniungitur:
23. 5 Coniungitur, dum ei ſimile efficitur:
24. 6 Simile efficitur, dum ſciendi actũ exercet.
25. 7 Eundem exercet actũ, dum cauſam rerum intuetur:
26. 8 Intuetur, dum eas quæſiuerit.
27. 9 Quærit, cùm dubitat:
28. 10 Dubitat, dum admiratur:
29. 11 Admiratur, per animæ fugam à repugnante:
30. 12 Repugnat, quod animæ perfectioni tam primę quàm ſecundæ, obſtat:
31. 13 Obſtat animæ perfectioni, (quia ipſa vna indiuiſibilis immobiliſque exiſtens, vnum indiuiſibile
32. 14 ac immobile petit) multitudo, magnitudo, motus.
33. 15 Ens, in ſe plura complectitur.

34. 16 Plura, ratio in ſimul quærere nequit.

35. 17 Inquirit primum, quod ſe admirabile prius offert.

36. 18 Se prius admirabile, magiſque repugnans offert, ens mobile.

37. 19 Mobile ens, ex pluribus quæ ei inſunt, conſiſtit.

38. 20 Secundum plura in ſimul, ſe nullum ens offert.

39. 21 Se offert primum, ſecundum id quod primum ei ineſt:

40. 22 Primum ineſt, quod prioris cauſæ eſt opus:

41. 23 Prioris cauſæ opus eſt, quod ſe latius communiúſve effundit.

42. 24 Se latius diffundit, mobile ſimpliciter, quã mobile loco, & quæ deinceps.

Concluſiones, quibus ſcientia de natura cõpoſitiuè; progrediendo à parte in partem, iuxta executionem naturæ progredimur.

Tertia claſſis.

43. 1 Mobile eſt, quod ſit ex aliquo

aliquid, non ex quolibet, sed ex apto nato.

44. 2 Ex apto nato dumtaxat, cum rē fieri contingat: è nihilo fieri aliquid philosophantium renuit dogma.

45. 3 Quum è nihilo res fieri nequeat, mobile ex tribus re ipsa distinctis principiis, per se constare asserimus, priuatione, materia, forma:

46. 4 Priuatio, est non ens enti admixtum: Materia, est admixtum non enti: forma est ens omnis priuationis expers.

47. 5 Formæ vt bono, materia adhærere exoptat.

48. 6 Hanc verò suam cupidinem materiæ, cum totam in simul explere nequeat, motus necessario emergit.

49. 7 Motus, est perfectio entis in potentia, secundum huiusmodi.

50. 8 Ens in potentia, mouetur ad actum, ab alio.

51. 9 In his quæ mouent & quæ mouentur, dandum est primum.

52. 10 Primum mouēs, nec corpus nec virtus in corpore est, sed infinitum, vigore mouens vt finis, efficiénsq; mobile primum.

53. 11 Mobile primum, est cœlum, ex anima (id est Deo primo mouente sine

com

cõmixtione cœli & ſui) efficiẽte motũ.

§4. 12 Quod fertur in orbem, quatenus latione, namque vniforme exiſtit, eatenus ſublunarem hanc materiam, primæ vniformíque caducorum formæ, adaptat.

§5 13 Prima ſublunarium cõmunis ſubſtantialíſque forma, eſt natura corporea, quam coæternam materiæ cõtendimus.

§6. 14 Hac intercedente, per varia cœli organa, nec non & per corruptibilium corporum diſcrimina, (quæ corruptibilia inquam corpora) nõ primariè, imo & minus quam inſtrumenta agere (vt 2. de genera. Ariſtoteles poſuit) ad diſtinctas numero ſpecie & genere formas, eadem materia diſponitur.

§7. 15 Terminãt verò eam formis diſtinctis quidẽ genere, leges: prima, Elementi: ſecunda, imperfecti mixti: tertia, mineralium: quarta, vegetalium: quinta animalium, quibus deeſt ratio: ſexta, in quã totius naturæ intẽtio vergit, Humana ratio.

§8. 16 Hanc (rationẽ ſcilicet) materialẽ, potentialémve aſſerimus.

§9. 17 Hanc etſi potentialis fuerit, nec materiam tamen, nec materiæ permix-

tam, sed substantiam abstractam, ostendimus.

60. 18 Quæ quia abstracta, ideo & semper intelligens actu.

61. 19 Et quamuis suapte natura intelligat actu, humano tamen corpori formam tribuens, quandoque intelligit, quandoque verò minimè.

62. 20 Intelligit, quando ei cogitatiua phantasma porrexerit: hoc cùm nō porrigat, nequaquam.

63. 21 At phantasma, cùm sua natura intelligibile non sit, virtus in nobis danda est agens, quæ & potentia, actu intelligibile constituat.

64. 22 Intelligibilia actu cùm fuerint, materialis facultas, adeptum intellectū parit.

65. 23 Adepto intellectu genito, ab eóque phantasmatum appendicibus deletis, nobiscum, agens intellectus iungitur, quo & abstracta cuncta prospicimus, adhæsionémque altissimi Dei, assequimur.

Conclusiones, quibus Metaphysicam scientiam diffinitiuè, à toto, scilicet in partes dividendo, tegimur.

Quarta classis.

66. 1 Dei adhæsionem assequimur, si ipsum nouerimus.

67. 2 Nouimus si illinc entis attributorúmve ambitum, passim dependêre cõcipimus.

68. 3 Dependere concipimus, si entis partes, attributáque inuicem, attribuimus.

69. 4 Entis, quadrifaria partitio est: Aut enim ortum habet in re, & in re ipsa cõsistit: Aut oritur ab intellectu, in eodémque sistit: Aut à re ducit originẽ, in intellectu tamen reponitur: aut oritur ab intellectu, & sistit in re ipsa ab extra.

70. 5 Quod oritur intus sistítque ab extrà, artificialium, moraliùmque cultor pertractat.

71. 6 Quod ortum habet in re extra sistítque intus, sunt intelligibilia, speciésve, quæ actu reflexo, per adeptum intellectum intuentur.

72. 7 Quod originem ducit intº, & intus reponitur, est ens rationis, quod logicus considerat.

73. 8 Quod verò in re extra & oritur & consistit, alij scientiarum opifices, vt

tale, Metaphysicus autem, quatenus ens, speculatur.

74. 9 Ens quatenus ens, est propria ratione aliquid, quod omnibus analogicè inest.

75. 10 Huius, si essentiam in se aspexeris vnum (veluti peculiarē eius passionem) ipsum scilicet ens, perpendes comitari.

76. 11 Quod si ad aliud, ad id scilicet cui primum ratio competit entis, (ad intellectum inquam) retuleris ipsum, verum ipsum sociari dices.

77. 12 Si verò ad voluntatem, quæ continuò intellectus comes est, idipsum conferas, bonum ei mox competere, agnosces.

78. 13 Vnum igitur ens dicit indiuisum, secundum quod diuisum, verum, vt intellectu apprehensum: bonum, vt volitum)

79. 14 At quoniam volitum apprehensumque esse, non ex absoluta, sed ex collatiua mētis ratione dependēt, ideo partes disiunctáque attributa, ens ipsum sortiuntur.

80. 15 Quatenus independens, substantia: quatenus dependens, accidens emergit.

81. 16 Rur

81. 16 Rursum, vt independens, vnum: quia dependens multum:

82. 17 Hinc actus, illinc potentia.

83. 18 Hinc, prius: illinc, posterius:

84. 19 Hinc, causa: illinc causatum:

85. 20 Hinc vniuersale: illinc particulare:

86. 21 Hinc infinitum: illinc finitum

87. 22 Hinc necessarium: illinc contingens:

88. 23 Quæ singula, enti, vt modos attributáue, non vt partes competere dicimus.

89. 24 Partes verò, primo contrahentes, ens (non modos) substantiam & accidens, asserimus.

90. 25 Substantiæ ratio est, non inhærere: Accidentis verò, inhærere subiecto.

91. 26 Quum accidens inhæreat, substantia verò minimè, potior pars entis substantia.

92. 27 Substantia, alia mobilis, alia immobilis est.

93. 28 Mobili substantiæ, materiam cõtrariis subiectam esse, oportet.

Subiecta materia, ens est, non actu, sed potentia: in æternis quidem, ad vbi:

In generalibus, ad formam.

94. 29 Quod in potentia est, mouente eget vniuoco, quo ducatur in actum.

95. 30 Mouens vniuocum, quod sensu cernimus, quum perpetuò generationē, & corruptionem subeat, aliud perpetuò mouens adesse contendimus.

96. 31 Quod perpetuò mouet, nulla potentia ac materia, commisceri contēdimus.

97. 32 Quod nulla potentia inficitur, actus est, se primùm, & reliqua omnia, secundò intelligens & curans, vita in summo delectabilis atque perfecta, vt appetibile & intelligibile mouens, à quo in esse & in moueri, dependet atque natura.

98. 33 Cœlum à tali mouente, veluti à causa effectus, manat: quótque eius sunt motus, tot erunt & motores.

99. 34 Motores inquam duplices: quorum vnum coniunctum, & animam: alterum reipsa seiunctum, & intelligētiam, decernimus.

100. 35 Et quāquam plures sint motores, hi tamen (quemadmodum & per se mota) ad inuicem ordinis vnitatem obtinēt, & ab vno, veluti exercitus à duce, pendent: & ad vnum refluunt vniuersa.

De

De Appetitu & uoluntate.

CAP. VI.

APpetitus, est incitatio vel impetus quidam, manans à naturali facultate: cuius vi, vel per se, vel aliundè, res ad aliquid excitatur.

Appetitus, vel rationalis, vel irrationalis est. Rationalis, dicitur volũtas, quæ vel Diuina vel angelica, vel humana. Diuina voluntas, in se vna, sed secundum nostrũ intelligendi modum, dicitur vel voluntas signi, vel beneplaciti apud Theologos: atq; ea, vel absoluta, vel conditionalis, vel permissiua. Humana & angelica interdum simpliciter voluntas, interdum propositum dicitur.

Irrationalis appetitus, est vel naturalis, vel sensualis. Naturalis, dicitur & facultas, attractrix, retétrix, alteratrix, expultrix: itẽ antipathia, & sympathia. Sensualis vel animalis duplex, cõcupiscibilis, & irascibilis: cõcupiscibilis, vel bonus per se, vel malus: Bonus per se, vt amor, desiderium, gaudiũ: Malus, vt odium, abominatio, tristitia. Inde & cõcupiscentia, vel sensualis vel spiritualis: Sensualis, bona, mala, indifferens: Bona quæ est ordinata ad finem bonum: mala, ordinata ad malum, vel inordinata absolutè

concupiſcentia: indifferens erit, naturalis paſſio & affectio: Sicut ſpiritalis concupiſcentia, mala ad malum, bona ad bonũ. Irascibilis, ſenſualis appetitus eſt: veluti, ſpes, deſperatio, timor, audacia, ira, impetus, furor, &c. Operũ quæ motu voluntario fiũt, alia libera ſunt, alia affectibus corporũ ſeruiunt. Libera ſunt, quæ à nobis abſque impedimento fiunt, vt ire ad aliquem, alium alloqui, capere quidpiam. Affectibus corporum ſeruiunt, opera non perpetuò libera, ſed in tempore & cum menſura, vt egerere, & metere.

Synopſis eorum quæ appetitum &c. referunt.	*His repugnant.*
Amor.	Odium.
Amicitia.	Inimicitia.
Audacia.	Timor, metus, pauor.
Beneuolentia.	Maleuolentia.
Concupiſcentia.	Nihil concupiſcens.
Conſuetudo.	Deſſuetudo.
Cupiditas.	Nihil cupiens.
Deſiderium.	Nullum deſiderium.
Dilectio.	Odium.
Gaudium.	Triſtitia.
Interpretatio.	Dubium.

Libertas.	Seruitus.
Lex.	Sine lege, incertum.
Liberum arbitrium.	Coactio.
Licentia.	Nullus appetitus.
Permissio.	Prohibitio.
Spes.	Desperatio.
Voluntas.	Nolle.

Axiomata appetitus.

1 Appetitus, regulam & efficacia interpretationum accipiunt, secundum naturam propriam rerum de quibus appetitus dicantur, & ita alius appetitus animalis, hominis, bruti, plantæ, &c.

2 Quò magis voluntas accedit ad maius bonum, eò præstantior.

3 In eo quod est concupiscibile vel desiderabile, & quod ex voluntate concupiscibile propter se, quia bonum: volũtas melior, perfectior, & præstantior, quàm in eo quod desideratur propter aliud.

4 Motus omnis corporis animalis, est per se voluntarius, in homine, quia voluntas ipsum excitare & sedare potest, eundo, sedendo, ambulando, &c.

5 Deus, & iudices, & quilibet, qualitatem actus boni vel mali, ex voluntate potius, quàm ex ipso actu, iudicant.

6 Duo sunt, quæ necessariò ad perficien-

dum

dum actum desiderantur, voluntas & potestas simul.

De Virtute. CAP. VII.

VIrtus Aristoteli, est facultas bonarum rerum consiliatrix & conseruatrix, facultas benefica bonarum rerum, atq; ideo omnium, & per omnia.

Virtus alia spirit', alia corporis. Spiritus virtus multiplex, superintellectualis, intellectualis, rationalis, moralis, theologalis. Superintellectualis illa est, quę procedit ex Dei omnimoda & nobis incognita vi, qualis virtus miraculorum, & eorū quæ Deus operatur supra causas per angelos bonos, vel quæ permittit malos agere, qualia magica, præstigia, sortilega.

Intellectuales virtutes sunt, sapiētia, sciētia, prudētia, quæ tamen proprie referuntur ad cognitionem.

Rationales virtutes, vel partis animæ sunt, vel totius. Partis animæ, vel partis cupidæ, qualis temperantia, continentia: vel partis animosæ, vt mansuetudo, fortitudo, iracundia. Totius autem animæ sunt, iustitia, & liberalitas. Morales virtutes sunt, iustitia, fortitudo, temperantia, quæ non nascuntur sed acquiruntur, & sunt, vt dicunt, ad extrà, discretiuæ actuum in proximum.

Theo

Theologales virtutes, fides, spes, charitas, dona quoque gratiæ diuinæ, quæ dirigunt ad Deum, & infunduntur, vt loquuntur classici sacri interpretes, ad intrà: vndè sunt discretiuæ virtutis actuum, in Deum tendentium.

Corporis virtus, aut animalis, aut vegetalis, aut elementalis, aut cœlestis. Animalis rursum, vel sensitiua, vel motiua, vel vitalis. Sensitiua item, exterior aut interior: Exterior, quæ operatur per sensus exteriores circa obiectum particulare, in loco, & tempore: scilicet, per visum, auditum, olfactum, gustum, tactum: Interior quę operatur per sensum communem, & per imaginationem, phantasiam, opinionem, memoriam. Motiua animalis, aut naturalis, aut appetitiua est: Naturalis vnde motus respirationis perfectorum animalium, pulsus, & motus vitalis, ex corde: Appetitiua, est aut irascibilis seu transibilis, aut cõcupiscibilis: Irascibilis, circa ardua & difficilia: Concupiscibilis, circa delectabilia & desiderata. Vitalis motiua, est qua vita nostra sustinetur.

Vegetalis virtus, est quæ operatur, vel consistit in generatione, auctione, & nutritione: quæ fiunt mediante virtute, attractiua, retentiua, concoctiua, vel digestiua, &

expul

expulsiua.

Elementalis illa est virtus, quæ ex mixtura oritur elementorum, aëris, ignis, aquæ, terræ: illaq;, vel est motiua secundum locũ, vel naturalis.

Cœlestis, quæ ex influxibus cœlestium corporum, & ex eorum commixtionibus, coniunctionibus, oppositionibus, aspectibus, &c. & ex motu, & natura eorum.

Synopsis, eorum quæ sub uirtute continentur ultra diuisiones.

His repugnant.

Actiuum.	Deficiens in actu.
Agere. quod agit.	Non valens agere.
Fortitudo.	Debilitas, Imbecillitas.
Generatio.	Corruptio.
Potentia omnis.	Impotentia.
Regulatio.	Irregulare.
Robur.	Infirmum.
Virilitas.	Mollities, ætas immatura.
Vis.	Defectus animi.
Virtus.	Vitia.

Axiomata.

1 Quælibet virtus ad suum obiectum

principale, secundum æqualitatem, proportionem vel comparationem, accipit: cùm virtus rei, secundum obiecta mensuretur.

2. Virtus minor, maiori cedit, cæteris paribus.

3. Virtus corporea, ipsa corpora, absque corporis dispositi beneficio, nec exerere, neque operari valet: vt calor non extat, nec operatur nisi in corpore cui præsidet, & in igne: Frigus pariter, nec existit, nec infrigidare potest, nisi terræ vel aquæ, vel aliis adsit eius vis prædominans: Sic, visiua virtus, minimè in suas operationes transit, si oculum dispositum, qui eius est instrumentum non habeat, ita de audiendi virtute, indisposita vel sublata aure, & de aliis similibus coniicere licet. Omnis denique virtus, corporea, ita se habet in corpore, sicut in cera aut ære, imago: Siquidem, dum cera vel æs dissoluũtur, actutùm perit imago ipsa, & sculptura.

4. Virtus vnita, maior seipsa dispersa.

De ueritate. CAP. VIII.

VEritas, est cuiusque rei, sicuti est, exhibitio vel intelligentia.

Veritas, alia increata, alia creata. Increa-

ta veritas Deus, qui & veritatis totius fons & author, non secus ac sol & lumen, lucis fontes.

Creata veritas, vel rei, vel intellectus, vel orationis est. Rei veritas, in essentia, moribus, & actionibus: Intellectus & orationis, quando res sicuti est intelligentia & sermone continetur.

Synopsis eorum, quæ veritatem referunt.

Adæquatio.	Prædestinatio.
Approbatio.	Probationes omnes,
Authoratio.	vt testes instrumenta, &c.
Confirmatio.	
Essentia.	Quiditas.
Fides.	Registrum.
Lex.	Verum.

His repugnant.

Adulatio.	Fallacia.
Ambitio.	Fictio.
Arrogantia.	Hypocrisis.
Calumnia.	Iactantia.
Contingens.	Ironia.
Futurum.	Mendacium.
Deceptio.	Ostentatio.
Dolus.	Periurium.
Error.	Proditio.
Fabula.	Susurratio.
Falsum.	Simulatio.

Ad ueritatem assequendam, sequentia necessaria.

1 Acre & impigrum ingeniũ, exigitur.
2 Educatio & exercitatio à puerili ætate in bonis disciplinis, potissimũ in mathematicis.
3 Aures optimis quibuscunque eius temporis, accomodare.
4 Laboribus non parcere, circa meditationem rerum.
5 Veritatis amore, spretis propriis, & aliorum passionibus, capi.
6 Methodum quandam perscrutari, qua facilius verum à falso distinguatur, eámque in praxim deducere.
7 Impellit ad inquisitionem veritatis, cũ quis cupit magnus & sapiens, præ cæteris, haberi.
8 Iuuat maximè, subtilitas animi in apprehendendo.
9 Vitare oportet in vero discutiendo, quæ solent aliò mentem deflectere, qualia arrogantia, iactantia, philautia, siue nimius sui amor, honorum atque bonorum immoderata libido, falsa persuasio sapientiæ, auaritia, ira, pertinacia, munera, & similia quæ animũ à sua integritate & puritate auocant.

10 Cauenda similium confusio, & affinitas distinctionibus secernenda.
11 A facilioribus & notioribus exordiendum.

Axiomata ueritatis.

1 Veritas, propter pugnantium argumentorum difficultatē, reiicienda nō est.
2 Veritas odium parit.
3 Veritas, super omnia, omniáq; tandem vincit aduersa.
4 Veritas non quærit angulos.
5 Veritas in omnibus quærenda.
6 Veritas simplicitatis amica.

De Gloriâ. CAP. IX.

GLoria est multorum bonorum ore cō-celebrata laudatio, quādo quis habet, vel existimatur habere, quod plures, vel omnes probi expetunt. Aut dicetur, claritas vel splendor vel lux, cum laude, ratione cuius, id quod anteà latebat, apparet. Gloria, alia vera, alia falsa. Vera, aut perpetua, aut temporalis: Perpetua, in seculo futuro & vita æterna beatis, & angelis: Temporalis in hoc seculo mutationibus obnoxio, eaq; vel essentiæ vel actuum est. Falsa & inanis gloria est, vel ratione rei à qua sumitur

sumitur, vel ratione eius qui gloriam dat, vel ratione eius qui eam sibi vsurpat. Inanis gloria ratione rei est, si ea non sit, si modica vel vilis, si ignominiosa & potius vituperio digna. Inanem & falsam dicimus ratione dantis, veluti, si laudet Dæmon, mundus, impij homines. Ratione accipientis, si is qui laudatur, sit indignus, si hypocrita, si eam sibi vsurpet immeritus, si eam ambit, si suis meritis non Dei gratiæ, quæ concedit laudabilia agere, adscribat: si ea superbiat.

Synopsis eorum qui gloriam ueram, uel inanem referunt.

	His repugnant.
Ambitio.	Infœlicitas.
Arrogantia.	Obscuritas.
Beatitudo.	Dedecus.
Celebritas.	Priuatio vitæ.
Decus.	Infamia.
Dignitas.	Memoriæ damnatio.
Fama.	Obliuio.
Festa.	Damnatio.
Fœlicitas.	Tristitia.
Gaudium.	Inhonoratio.
Honor.	Iniuria.
Iactantia.	Calumnia.

Laus.	Contemptus.
Maiestas.	Vituperium.
Nobilitas.	Tenebræ.
Ornamentum.	Populare.
Pulchritudo omnis.	Ignobile.
Remuneratio.	Inornatum.
Splendor.	Deforme.
Superbia.	Exilium.
Triumphus.	Pœna.

Axiomata Gloriæ.

1. Sequitur vt vmbra corpus, semper virtutem gloria.
2. Gloria, æmulationem Reipublicæ saluberrimam parit.
3. Gloriam consequi, omnium finis.
4. Gloria, quies operum est, & condimentum suauissimum laborum.

SYNT.

SYNTAXEΩN
ARTIS MIRABILIS,
LIBER QVINTVS.

In quo de accidentibus agetur.

De Accidentium ſummaria diſtinctione.

CAP. I.

NOBIS, priuſquam ſubſtantiæ cognitæ ſint, ſeſe offerunt accidentia ſigillatim conſideranda, à quibus ad ſubſtantias præparatur tractatio: Igitur generaliter conſideratis tranſcendentibus, optima methodo, ad ſingulares rerum apparentes peruenimus notas accidentales, & antequam ad earum fundamentum & baſim deſcendamus, ad ſubſtantiam ſcilicet. Vna ſubſtantia, accidentia nouem, quæ à pluralitate ad vnum tamquam ad ſubiectum, reducuntur. Omnia autem hæc, denario concludun-

duntur numero, decémque nominibus & essentiis, ad quas omnia reiiciuntur, vnde & decem dicuntur prædicamenta, quorum naturam, duobus versibus Murmellij, exprimimus:

Versus continentes naturam prædicamentorum.	*Nomina decẽ prædicamẽtorũ, quorum primũ substantia, alia. 9. accidentia.*
Arbor,	Substantia.
Sex,	Quantitas.
Seruos,	Relatio, vel ad aliquid.
Frigore,	Qualitas.
Refrigerat,	Actio.
Vsto,	Passio.
Ruri,	Vbi.
Cras,	Quando.
Stabo,	Situs.
Nec tunicatus ero.	Habitus.

SVNT tamen quædam, extra prædicamenta, quæ ad aliquod accidentium reduci nequeunt. Duobus etiam versibus expressa ad memoriam iuuandam.

Versus

Versus exceptorum à numero Prædicamentorum.

CONCEPTVM, Id est vox composita ex pluribus (vt homo iustus) nisi cõplexum, vnum significet, vt corpus animatum.

CONSIGNIFICANS, Syncategorema, id est, nihil per se significans, & nisi cum alio, vt omnis, nullus. Quamobrẽ & ex octo partibus orationis, quatuor, categoriis continentur tantum, nomen, participium, verbum, aduerbium.

FICTVM, Veluti Syrenes, Centauri.

POLYSEMVM, Id est, quod multa significat, nisi fiat distinctio.

VOX LOGICAE, Huiusmodi sunt termini dicti secundæ intentionis, quos dialectici aliarum rerum gratia vsurpãt, vt nomen, verbum, oratio, propositio.

DEVS, Id. omnia nomina infinita actu, vt Deus, creator, extra prædicamenta sunt: eo quòd prædicamenta omnia finita actu sunt.

EXCEDENS, Id est, id omne quod transcendens dicitur, vt vnum, ens, aliquid: nobis, bonitas, magnitudo, duratio, &c.

PRIVATIO, Hoc est, quæ primatio-

nem significant, vt cæcitas, surditas, tenebrę, &c.

PARSQVE, Id est, vox partis principiiue materialis significatiua, vt forma, materia, &c.

Prædicamenta considerantur interdum in abstracto, interdum in concreto: in abstracto propriè, veluti substantia, quantitas, qualitas, &c.

In concreto, vt substantiuatum quātum, quale.

De Quantitate. CAP. II.

QVia rudior & facilior rerum cognitio est illa, quæ per distinctionē numeralem fit: vt corpus hoc ab illo, nemo differre nescit vel ex eo, quod hoc & illud, duo sunt: in quo, quātitatis est obseruatio. Idcirco prius, vt à facilioribus, argumenta ducimus post superiora, à quantitate.

Quantitas omnis, vel non prædicamentalis, vel prædicamentalis est. Non prædicamentalis est, distinctiua graduum perfectionis, virtutis & substantiæ, secundum plus & minus, atque hæc propriè dicitur magnitudo, quam enumerauimus inter genera metaphysica vel trāscendentia: veluti dum dicimus, magnum architectum, magnam & paruam substantiam, & maxi-

mam

mam vim.

Prædicamentalis, est ens accidentale dimensionem faciens substantiæ, per quod, quantus & quotus in ordine quis dicitur. Atque hæc quantitas, vel per se, vel per accidens est. Per se, ea quæ propriè & essentialiter sinè respectu ad alterum, Quæ subdiuiditur in continuam & discretam.

Cõtinua quãtitas est ea, cuius partes copulantur in termino aliquo communi: aliter, coniuncta & cohærens dicta: qualis est in linea, superficie, corpore, loco, tempore. Linea est lõgitudo sola, ex fluxu puncti cõtinuata: & terminus eius communis, punctum. Superficies, est longitudo cum latitudine solùm: communis eius terminus, linea. Corpus, est latitudo cum profunditate: communis eius terminus, superficies. Locus, superficies est, in qua aliquid: communis terminus, linea. Tempus, est Solis & orbium conuolutio: communis eius terminus, cursus, consequentia & continuum.

Discreta quantitas est, cuius partes non copulantur ad vnum terminum communem. Atque hæc erit vel numerorum, vel mensurarum, vel orationis. Numerorum quantitas, vt vnum (quod numeri principium, non numerus) duo, tres, &c. Numerus autem, est multitudo aggregata ex vni-

tatibus. Quantitas mẽsurarum, vel est temporis, vel liquidorum, vel aridorum, vel ponderum, vel interualli. Temporis mensuram & quantitatem discretam refferũt, Atomus. 6. 5. 4. 3. 2. minuta, gradus, hora, dies, hebdomada, mensis, annus, olympias, lustrum, seculum, æuum, &c. Liquidorum mẽsura, Cyathus, coclear, culeus, metreta, &c. Aridorum, medimn⁹, chœnix, modius, saccus, &c. Ponderum quantitatem exprimunt, scrupulus, vncia, denarius, libra, talentum, &c. Interuallorum mensuræ, digitus, palmus, pes, passus vterque, pertica, funiculus, crassum, latum, altum, profundum, &c.

Orationis discreta quantitas, est distinctio & mensura, distincti soni, separatarũq; syllabarũ: & idcirco, hæc discretio in duas scinditur partes, vt sit vel syllabarũ, vel totius orationis. Syllabarum quantitas triplex, Longa, Breuis, Anceps. Totius orationis quantitas, quando propositio dicitur vel vniuersalis, vel particularis, vel indefinita, vel singularis, de quibus & in superioribus egimus.

Per accidens quantitas est, quæ habet quidem quantum, sed non propriè, nec ex se, nec essentialiter tale quantum dicitur, & nisi respectu subiecti: veluti albedo, magna

gna vel parua, habita ratione subiecti, quòd magnæ vel paruæ superficiei sit, cui adiacet albedo, sic etiam de intensione albedinis vel remissione, quod quippiam, minus vel magis album sit, quæ potius ad prædicamentum ad aliquid, referri oportet ob relationem, & propter repugnans secundũ quantitatis axioma.

Axiomata Quantitatis.

1 Quantitas, quantitati contraria non est, vti bicubito, tricubito, nihil contrarium, &c.
2 Quantitas, non recipit magis nec minus.
3 Maximè proprium quantitati, quòd secundum eam æquale vel inæquale quippiam dicatur, vt secundum latitudinem aut longitudinem.
4 Rei magnitudo, propriè molis, in qua magnum paruum:
5 Multitudinem, quot, indicat:
6 Multiplicationem, quoties:
7 Distributionem, quotuplex.

De *relatione, vel ad aliquid.* CAP. III.

NAtum hoc accidens, ex consequentia rerum, eo quòd res omnes à sum-

ma

ma Dei sapientia, eum in modum colligatæ sunt, similitudinis vel alterius cuiusdam participatione, vt vix res aliqua inueniatur: quæ si planè, vel aliqua ex parte sit cognita, ad alterius cognitionem aditum non præbeat, secundum relationem ad aliud.

Relatio autem, vel realis, vel secundum modum dicendi: Realis, absoluta est, ratione essentiæ, vel substantiæ vel alterius ad aliud: vt dupli & dimidij, patris & filij, totius & partis, actionis & passionis, & aliorum sequentium accidentium. Secundum modum dicendi, est relatio non absoluta, sed ratione alicuius qualitatis vel substantiæ: Ratione qualitatis, vt dum opinio, reffert opinabile: scientia, scibile, sensus, sensibile. Ratione substantiæ, vt si agatur de capite & manibus, relatio subintelligitur hominis, qui manus habet solus.

Cæterùm cuiuscunque sit modi relatio, ea vel comparationis siue proportionis, aut suppositionis erit. Cõparatio seu proportio, potest esse communionis, continuationis materiæ, vel alterius qualitatis: Communionis, veluti amicus alium amicum reffert, ratione communis amicitiæ: æqualis, æqualem, ratione æqualitatis communis: sic de ciuili & aliis continua-

tio

tio materiæ relationem facit, vt inter patrem, matrem, & filios. Inter auum, & nepotes, fratres, & sorores, proximos, affines. Ratione alterius qualitatis, relatio inuenietur, quia qualitates plures, multiplex, vt inter commensales, familiares, domesticos, argentarios, socios, ergolabores, &c.

Fit & proportionis relatio, in dictionibus compositis ex vocula cog, vel con, vt in cognatus, consocius, conscius, consimilis, &c.

Suppositionis relatio, est ordinis, aut naturalis, aut artificialis aut contingentis, secundum prædicationem seu enuntiationem maioris vel minoris, quia & plus & minus sunt ad aliquid. Sic subordinantur minus dignum, digniori: subditus, imperanti: cliens, patrono: inferior, superiori: seruus, domino: filius, patri.

Axiomata Relationis.

1 Relatio, interdum contraria recipit, vt virtus reffert vitium, scientia ignorantiam.

2 Relatio suscipit maius & minus, ex intentione vel remissione rei: ita, & similes & dissimiles magis & minus res, qualitate.

3 Omne

3 Omne relatiuum ad correlatiuum respicit, vel, vt tritum est, ad dependentiam aut conuertentiam alterius.

4 Relatiuorum altero posito, alterũ censetur etiam positum: altero sublato, & alterum sublatum. Quod intelligitur de positione, & ademptione eius in quo fit relatio, non de essentia.

5 Cognito altero relatiuorum determinatè, cognoscitur & alterum in quo est relatio, non tamen in aliis.

6 Ideo pro cõciliatione argumentorum, considerandum est id, in quo fit relatio.

De Actione. CAP. IIII.

QVia substantiæ non sunt perperam ad actionem & passionem rerum, ordo desiderat vt perueniamus deinceps.

Idcirco, Actio, vel functio, vel operatio rerum, est motus actiuus, qui à facultate procedit, quæ Græcis ἐνέργειαι. Vel breuius, Actio, est motus ex faciente in patiens. vt Passio, est motus in patiente, ex faciente in patiens.

ACTIONVM, alia manens, alia transiens. Manens est ea, quæ remanet in agente, & pficit ipsum, & est subiectiuè in ipso. Huius generis sunt actiones animæ, velle, desi

desiderare, intelligere, sentire, & aliæ morales actiones. Sed hæc actio vel passio, prædicamentalis non est, & pertinet ad metaphysicum.

Transiens ea est actio, quæ causam accipit ab agente, & recipitur subiectiuè in patiente: sic agens, principium quidem est, recipiens autem subiectum. vt calefactio aquæ, actiuè quidem est ab igne: sed calefactio in aqua, passiuè. Et hoc genus, constituit prędicamentum actionis & passionis.

Actio trãsiens rursum, vel est actio ipsa, vel factio. Actio ipsa est, cum non videtur effectus post actionem remanens, sed is cũ actione ipsa transit: vt cantare, citharam pulsare, nauigare, ire, &c. Factio, est actio per quã producitur effectus, post actionem remanens: veluti post fabricationem, ædificationem, demolitionem, remanet fabricatum, ædificatum, demolitum, &c. Et hæc generaliter de omnibus actionibus, & omnium rerum, dicta sint.

Actio iterum, vel ab incorporeo, vel à corpore procedit. Incorporea, sine corporis ministerio fit: qualis est Dei & angelorum, & animæ, quæ tamen & per corpus operatur. Corporea, quæ fit mediante

te corpore: eáque duplex, inconuersiua, & conuersiua: inconuersiua, in qua agens in agendo non repatitur: Conuersiua, in qua agens in agendo repatitur, quæ propriè generabilibus & corruptibilibus competit.

In humano corpore, actio in summa duplex, animalis & naturalis. Animalis, voluntaria, à neruis & musculis procedens, quando quiescit, excitari potest: vt sedēs, postea mouere crura & pedes potest: excitata potest sedari, vt currens, sedere potest si velit, vt actionis motus, velocior vel tardior fit pro voluntate. Erit autem hæc animalis quadruplex actio, sentiendi, mouendi, regendi, respirandi. Actio sentiendi rursum, quintuplex, audiendi, videndi, odorandi, gustandi, tangendi: quæ passiones etiam illis relatas constituunt, audiri, videri, odorari, gustari, tangi. Mouendi actio, patet: at rectrix, actio princeps, quadruplex est, nempe imaginatio, cogitatio, ratiocinatio, memoria: vnde passiones totidem, imaginati, cogitati, examinati, memorati. Respirandi actio, planè animalis & voluntaria, habētq; passionem, pati respirationē, & respirationē. Obseruandum etiam est, actionum animalium voluntariarum, alias absolutè liberas,

alias

alias non omnino liberas. Absolutè liberæ illæ sunt, quæ à nobis & à nostra pendent libera potestate, vt loqui, tacere, accipere, velle, nolle: quibus respondent passiones, dictum, accipi, quod voluimus, &c. Actiones nō absolutè liberæ, sunt, quæ corporeis affectibus seruiunt, quæ nō perpetuò, sed in tempore quodam, & cū certa mensura, sine impedimēto fiūt, vt meiere, egerere, quæ nemo perpetuò, aliquandò tamen, agit in respiratione idem recipitur.

Actio naturalis corporis humani, volūtatis est expers, nec à voluntate sed à vena & arteria procedens, sponte & naturaliter fit, nec pēdet ab arbitrio vel electione: huiusmodi est alteratio, formatio, corruptio, ex quibus generatio, item nutritio, quæ est perfecta assimilatio ex agglutinatione & adhærentia: postquam enim succus à vasis excidit, dispersus per partes agglutinatur, & postea partibus assimilatur. Ad hanc etiā actionem naturalem pertinet, attractio, retentio, concoctio, distributio, motus cordis: motus arteriarum, idest pulsus: auctio, quæ est incrementum, in longum, latum & profundum, permeans. Ex quibus passiuè fit, alterari, formari, corrumpi, nutriri, attrahi, retineri, coqui, distribui, moueri, augeri.

Axiomata & media actionis, in capite traduntur sequenti.

De Passione. CAP. V.

QVæ dicta sunt de actione, in passione passiuè tradita esse censeantur. Annotandæ tamen seorsum adhuc passionis acceptiones sunt, vt hæc methodus sine confusione procedat.

Passionis acceptiones.

1 Passio sumitur, pro propria qualitate fluente à principiis naturalibus, quæ constituunt specificas differẽtias, vel passiones indiuiduorũ: eiusmodi est risus in homine: hinnitus, in æquo: latratus in cane: & sic de similibus, quæ dicuntur passiones indiuiduorum, & specificæ.

2 Pro conceptione intellectus, cuius expressiones sunt, ea quæ sunt in voce notæ passionũ quæ in animâ degũt.

3 Pro motu appetitus sensitiui, in quo dicuntur esse animi passiones: quoniã excitantur, cum alteratione corporis.

4 Pro supplicio, vltione, & pœna, siue iustè, siue iniustè infligantur: hinc passionem dicim⁹ domini nostri IESV-

CHRI

CHRISTI, & martyrum eius, pro cruciatu.

5 Pro qualitate sensibili non firmata in subiecto, de qua in tertia specie qualitatis agitur, cuius est ruboris, iræ, vel recundiæ concitatio.

6 Pro eo quod ab agente, siue pro eo, quod ab agente causa fluit: vt ab actione ignis & solis, fit calidum & calefactio passiua. Et hoc sexto modo, constituitur prædicamentum passionis, prout fit relatio actionis.

7 Passio pro permissione eiꝰ qui aliquid fieri patitur & sinit, sumitur.

De mediis agendi & patiendi.

Actio agit, passióue patitur, vel per medium causæ formalis, vel per medium instrumenti naturalis coniuncti cum agente, vel per medium instrumenti separati ab agente. Medium causæ formalis, habet, vel formam permanentem, vel formam fluentem. Forma permanens est, quæ agit per qualitatem sibi intrinsecam & permanentem: vt ignis agit in aquam per calorem: sol per lucem, in hæc inferiora. Forma fluens, illa quæ agit per actionem, cuius principium ipsa eadem qualitas quæ inest agenti.

Per medium instrumenti naturalis, coniuncti agenti, actiones fiunt, vt per mẽbra, & alia quæ natura generat & nutrit, per quæ suis fungitur actionibus. Per medium instrumenti separati ab agente, actio vel passio fit, vt dum quis serra findit, secat securi, dolabra polit, ense necat.

Axiomata actionis & passionis.

1 Relatiuè sese ostẽdunt, actio & passio, cùm altera sola esse nequeat.

2 Agere & pati, contrarium implicant in eodem, secundum idem, & eodẽ tempore, propter contrarias qualitates quas recipere possunt.

3 Agere & pati, magis & minus recipiũt.

4 Omnis instrumentaria causa, per se ipsam actionis est expers, neque agit, nisi à superiore vel diuiniore causa excitetur.

5 Omne simul actiuè & passiuè mouens, physicè mobile existit.

De Vbi. CAP. VI.

VBI, esse in aliquo loco ostendit: Aliud tamen, locus, aliud vbi. Esse in loco, idem est quod replere locum illum. Estq; relatio vbi, ad locum pertinens. Collocatio rei in loco, triplici modo est: vel circumscriptiuè,

scriptiuè, vel definitiuè, vel contentiuè. Circunscriptiuè, quando corpus in loco, alio est circundatum: & eo modo, nulla substantia incorporea est in loco, neq; illi conuenit illud vbi, circumscriptiuè, & ita circumscriptiuè vbi facit prædicamentũ. Definitiuè vel cum determinatione in loco quid est, quando virtus incorporei agẽtis, est finita, & applicatur vni loco, in quo operatur: quo tempore, cùm incorporeum illud agens finitum sit, in alio loco non potest esse. Hoc modo angelus est in vbi, & in loco definitiuè, non autem priore modo, quoniam caret quantitate loci repletiua. Contentiuè siue repletiuè, aliquid est in loco, quando virtus agentis est infinita, & operatur & influit omni loco: & hoc modo, solùm Deus est in loco, extra prædicamentum tamen.

Locus multiplex, communis, proprius, naturalis, violentus, superior, inferior, lateralis. Communis, est terminus qui plura immediatè continet. Proprius, terminus corporis continentis, contento immediatus. Naturalis, in quo res naturales natura quiescunt: in eo autem res natura quiescunt, in quo conseruari possunt, natura. vt terra, locus grauiorum: aër, leuium: &c. Violentius, in quo præter na-

turum, res naturales quiescunt. Superior & inferior, situ distinguntur: lateralis, autem est, dexter, siniſter, anterior, posterior. Loci dimensiones sunt, longitudo, latitudo, profundum vel altitudo.

Axiomata de ubi.

1 Vbi, contrarium non habet, secundum logicos.
2 Vbi, non suscipit magis vel minus.
3 Per vbi, interrogamus locum in quo.
4 Per vnde, locum à quo.
5 Omnia mutabilia, moueri necesse est, quia in loco sunt vniuersa.
6 Corporum vnumquodque, suapte natura, aut sursum, aut deorsum tendit, aut ibi manet.
7 Quia loca finita sunt, & quæ ibi continentur prædicamentaliter, finita esse necesse est.
8 Ex opportunitate loci & temporis, secundum Pythagoricos, omnibus bonum adest.
9 Pro locorum varietate, variæ fiunt qualitates rerum intrinsecæ vel extrinsecæ, vel ob naturam diuersam soli, vel ob mores & vsum incolarũ, & diuersas functiones.

De

De Positione, uel situ. CAP. VII.

POstquam nouinus locum in quo, quid sit, impellitur mens ad quæstionem de situ & positione: quia verbi fit relatio, & ratio habetur totius locati & totius loci, cum circumscriptionis expressione: at, per positionem, exponitur situs partium locati, in partibus loci, singulari & propria sedis nota: Verumtamen positio, tripliciter accipitur, pro propositione, ordine, & prædicamento. Pro propositione vel θέσι, quãdo proponitur axioma sine medio: Pro ordine, quando partes supponuntur mutuò, vel dum habetur respectus ad totum, qua acceptione ad quantitatem reiicitur positio. Prout autem positio prædicamentum constituit, dicetur ordinatio, vel situs, vel dispositio partium alicuius corporis positi in loco.

Omnis positio rerum, aut naturalis, aut voluntaria, vel casualis. Naturalis positio, quando ordo naturæ seruatur, vt positio capitis in homine superior, pedum inferior: manuum in lateribus, elementorum in propriis locis. Voluntaria positio, quando pro arbitrio ea fit, vt si caput deiiciatur, pes eleuetur, si sedeamus, iaceamus, &c. huc pertinet ordinatio per artẽ,

vt columnarum dispositio, arborũ in certum ordinem plantatio, &c. Casuális, quãdo fit casu vel fortuna præter naturam, veluti si contingat hominem capite prono, obuersóve cadere, si præter spem aliquid accidat, vt in taxillis iactus, &c.

Positorum, alia immobilia alia mobilia: immobilia, vt terra & agri, & quæ per se non mouentur. Mobilia, vt aër, ignis, aqua, animal & similia.

Repetantur hîc in summa, modi situs & positionis, sursum, deorsum, dextrorsum, siniſtrorsum, antè, post, retro, stare, sedere, iacere. Frequénsq; notatio situs, apud mathematicos, astrologos, geometras, cosmographos, rusticos, nautas, per ortũ, occasum, meridiem, septemtriones. Estq; Glareano, positio recta vel obliqua.

Axiomata Positionis.

1 Positioni, nihil est contrarium.
2 Positio, non recipit magis vel minus.
3 Proprietas positionis, quòd substantiæ proximè adhæret, omnibus formis aliis prædicamentalibus, idest accidentalibus præsuppositis, quæ præcedunt ipsam positionem.
4 Qui ignorat positionem partium corporis

poris humani, facilè ignorat earum vsum & actionem.

§ Qui propositioni seu thesi non credit, reprobare debet: & qui reprobare non valet, credere debet.

De Quando. CAP. VIII.

SVperioribus decursis, ad tempus conuertitur inquisitio, circa rẽ eandẽ: subindicátque quæstionis quãdo solutio, rem esse in tempore, non autem naturam ipsius temporis, quæ quidem quantitatis est, ideo non præsentis sed alterius categoriæ vel prædicamenti.

Constituunt periti, duplex quando: simplex inquam, & cõpositum. Simplex, cùm res se habet ad tempus vt ad indiuisibile: Tempus autem indiuisibile & á susceptione mensuræ semotum, est æternitas, sempiternum, ictus oculi, momentum, atomus. Compositum quando, dum se habet res tẽporalis vt ad diuisibile tempus, vt ad certum diem, annum, mensem &c. Diuisibile enim est tempus, in partes successionis.

Tempus omne, ex motu vniuersi & numero constat.

At tempora considerantur, vel vt naturalia, vel vt non naturalia. Naturalia præterita, præsentia, futura, & ex illis nata, anti-

qua recentia, instantia: & ea quæ naturam temporis exhibent, hyems, æstas, ver, autumnus: & anni tempora, vt hora, dies, hebdomada, menses, &c.

Non naturalia tempora, sacrificia, dies festi, nuptiæ, casu facta, euentus: consilio, imprudentia, errore, metu facta: ferię repętinæ, indictæ, statæ.

Est & temporis, simul: Porrò simul, triplici modo. Primùm de his quæ sunt eiusdem temporis, vt simul nata, facta, creata, idest in eodem tempore. Secundò simul, ratione conuersionis, quæ simul incedūt, vel se referunt: vt duplum & dimidium, pater & filius. Tertiò simul, quæ sunt species eiusdem generis: vt homo & brutum, simul in genere animalis: Equus, asinus, leo, simul in bruto.

Axiomata Quando.

1 Quando, nihil est contrarium.
2 Quando, non suscipit maius & minus.
3 Quando, habet proprium, esse in tempore, estq; respectus mensuræ, inter tempus & rem temporalem.
4 Omnia tempus habent.
5 Quæ participant in tempore, & sunt in tempore, cum ipso ætatem agunt, & seipsis seniora & iuniora dicuntur.

6 Distingue tempora, & multas consiliabis antinomias.

De Habitu. CAP. IX.

COgnita distinctione temporali externa, alia rei scientia notior offertur ex habitu, Qui est medium quoddam, inter corpora, & ea quæ corporibus adiacent, secundum quod, hæc scilicet quæ adiacent, haberi, illa autem nempe corpora, habere dicuntur. ita habitus armatura, tunicatio. &c. Quamobrem & habitus ab habere differt, quòd habere possessionem quandã referat. Habitus itaque, est adiacentia corporum, & eorum quæ circa corpus sunt: Quæ in corpore humano, intelligunt esse in accidente mediante inter corpus hominis & vestimentum, vt non circundationem ipsam, non vestem, non tempus ostendãt, sed differat habitus, à quando, ab vbi, & à situ.

Possumus tamen in hac arte, extra prædicamentorũ naturam, hic sedem constituere rationum ductarum ab omni ornaméto ab ornatu extrinseco adhęrẽte, vel attributo. Sic in summa, habitus continebit, propriè vestitum, deinc generaliter omnẽ ornatum, possessionis vel quasi, modũ habendi, item dominij titulum, atque habitũ

siue

siue disposition em rei, quæ tamen est qualitas propriè.

Axiomata Habitus.

1 Habitus, suscipit magis & minus.
2 Habitus non suscipit contrarium.
3 Talis quisque esse præsumitur, quales sunt ij, quorum vtitur habitu.
4 Priuatio præsupponit habitum, in possessione.

De *Qualitate.* Cap. x.

ACcedit plus ad substantiam qualitas, quàm cætera prædicamenta, & idcir co, postremam ex Accidentibus constituimus, quò facilior esset transitus ad ea quæ substantiatum continent.

Est autem qualitas, forma accidentalis, incorporalis, secundum quam, quodlibet dicitur esse tale.

Qualitas in summa, alia intrinseca, alia extrinseca. Intrinseca rursum, vel habitus & dispositio, vel naturalis potentia. Dispositio, est quædã præparatio, qua quid postea facilè fieri potest. Quamobrẽ ea dispositio, imperfectus habitus, & initium eius dici potest: Differúntq; dispositio & habitus, quod dispositio ita se ad habitum habet, vt ætas puerilis ad virilem. Atque iterũ

dispositio,

dispositio, est assuefactio & promptitudo actibus pluribus comparata: verumtamen infirma, hoc est, qualitas insensibilis ex multis actibus vel vnico acquisita, sed non firmiter radices agens,& quæ à subiecto facilè amoueri possit. Iterũ habitus & dispositio,aut animæ aut corporis:Animæ, cùm subiectum,est in anima aut in eius intellectu, vel in voluntate. Ex habitu & dispositione intellectus, oriuntur,sapientia, intellectus, scientia, prudentia, ars, opinio.Ex voluntate habitus & dispositiones morales sunt virtutes, iustitia, fortitudo, temperantia, item vitia, Corporis habitus & dispositiones, habent subiectum in corpore: atque in istis corporeis qualitatibus,vltra ea quę ars addit,aliquam membrorum exercitationem exigimus, veluti in habitu pila ludendi,scribendi, currendi, & similium.

NATVRALIS qualitas intrinseca, est potentia vel infirmitas naturalis, qualitas congenerata, cum naturali complexionè temperamenti alicui indita, perquã aliquid naturaliter fit, potens vel impotẽs ad agendum, obsistendum, vel non agendum.Ad eum modum naturaliter, quidam sunt sani ex constitutione naturę: alij naturaliter ægri: alij molles, duri,ad pacem,

ad

ad arma sati. Huc pertinent omnes potentiæ naturales, tam animæ quàm corporis: animæ, vt qualitas voluntatis, intellectiua, memoratiua, quæ quidem indigent corporeo instrumento, sed immediatè habent subiectum in anima. Naturales corporis potentiæ & qualitates, sunt facultates vegetatiuæ, vt attractrix, retentrix, qualitas &c. Item sensitiuæ interiores & exteriores, & motiuæ secundum locum.

EXTRINSECA Qualitas, aut passio, aut figura esse potest. Passio, est passibilis qualitas: Attamẽ differũt, quòd passio citò transit, nec fixa est, vt de dispositione dicimus: Passibilis autem qualitas, diuturnior. Exempli causa, subitò irasci, passio est: Radicata autem passio iracundiæ, passibilis est qualitas. Atque sub hoc genere, comprehendũtur omnia obiecta sensuum exteriorum, vt colores, lux, lumen, soni, voces, sapores, qualitates tangibiles, frigidum, humidum, calidum, siccum. Figura, est qualitas formæ extrinsecæ, qualis figura anguli, quadranguli, & similes geometriæ. Item figura, pulchritudo rei cuiusque: item triste, benignum, lætum, & aliæ formæ vultus, & reliquæ notę, characteres, & superficierum distinctiones, vel naturales, vel artificiales rei cuiusque,

iusq;, vt domus, vestis, &c,

Cæterùm forma, tripliciter vsurpatur. Primùm, pro forma substantiali, qua compositũ naturale constituitur & habet essentiam actu. veluti per animam formam dantem, homo dicitur: per animæ & vitæ alterius formam, leo, &c. Quæ forma, non est in prædicamento qualitatis, quia est substantia. Secundò, forma ponitur pro omni re quæ verè est accidens, & dat esse accidentaliter, postquam subiectum constitutum est, vel dum constituitur per formam substantialem, in esse accidentali: quæ forma, inuenitur in nouem omnibus prædicamentis. Tertiò, forma sumitur, in specie, siue vt dicunt specificè, pro re accidentali, quæ procedit ex determinatione vel circumscriptione quãtitatis concluſæ lineis, aut aliqua superficie, prout quibusque rerũ conuenit naturis.

Axiomata Qualitatis.

1 Qualitas aliquando suscipit contraria, vt virtus, vitium: album, nigrum: Interdum non suscipit, vt apparet in coloribus mediis inter album & nigrum, nempè in rubro, pallido, & similibus.

2 Figuræ contrarium non admittunt.

3 Qua-

3 Qualitas aliqua, non tamen omnis, ſuſcipit maius & minus.

4 Magis & minus ſuſcipiunt figuræ imperfectæ: quales ſunt, rectum, curuũ, conuexum, concauum, & ſimile, quia poteſt eſſe rectior, magis incurua vel conuexa linea.

5 Magis & minus, non ſuſcipiunt perfectæ figuræ: quia illis nihil addi vel detrahi poteſt, ſine mutatione ſpeciei. Talis figura, eſt ſpherica, cubica, pyramidalis, triangularis, quadrangularis, &c.

SYNTA

SYNTAXEΩN ARTIS MIRABILIS,

LIBER SEXTVS.

Vbi agetur de prima cellula classis substantiarum, Nempè de Deo & Theologia.

De ratione methodi præsentis, & de classe substantiæ in uniuersum.

CAP. I.

ABsoluto cursu, per accidentia instituto, ex quo rudior quędã nobis erit comparata cognitio, ad substantias rerum conuolandum ordine est, & à singulis eruenda & aduocanda auxilia, cognitio propria & singularis, rationes, probationes, & distinctiones. Hicq; incipimus vela, in altissimo profundoq; pelago, nauigationi dare, & à præludiis ad rem ipsam deuenimus:

Quamobrem qui hanc classem probè cognouerit, nihil ferè habebit eorũ quæ sciri possunt, incognitum. In primis etenim, rerum omnium, ex admirabili istius classis graduum ordinatione, apparet perfectionis distinctio, mutuáq; connexio: Deinde, ex cuiusque gradus summaria anacephaleosi, naturâ præstantiora traduntur. Proinde annota, in supremo gradu Deum esse, & postea alios, eò minus præstantes, quò magis recedunt ab eo: vt quantò magis ei vicini sunt, tãtò sint inferioribus meliores: semper enim, descendendo, aliquid amittũt perfectionis maioris, & contrà ascendendo perfectionis adiiciũt. Hinc & licet colligere, nihil verè perfectum infra Deum, nec quicquam Deo esse perfectius, quia vlterius gradus alius non inuenitur eo superior: sicut inferior, elementorum simplicium est, vbi consideratio rerum simplicium, ex quibus artificis summi prudẽtia, ascendentium graduum replentur distinctiones, per colligationes & concatenationes implexas. Quas vt facilè concipias, constituè duplicem ordinem in hoc schesmate rerum, vnum quo fit descensus, elongatio vel diminutio perfectionis, alium, quo fiat ascensus à minus perfectis ad magis perfecta, & à simplicibus ad cõ-

posita.

posita. Deinceps, vt perfectiora intelligas, à simplicioribus incipe. Primus itaque naturæ gradus & minor, in simplicibus elementis rerum, scilicet ex principiis incõpositis constituitur. Ex horum mixtione & compositione prima, nascitur secundus gradus, qui res tantùm compositas, & maiorum rerum rudem materiam contineat: & ideo quia simplex est elementorum ibi compositio, inde generata vel facta, dicuntur elemẽtata, & corpora silentia Hebræis, sine vita. Ex hoc, tertius gradus alius accipit materiam, cui additur vitæ animalis rudimentum, nempe vita vegetans, qualis inest plãtis. Quartò, hic fit accessio sentiendi, & constituitur gradus alius vitæ sensualis, in quo sunt omnia genera & species brutorum animalium. Sextò Deus adhuc viuendi substantiam excellentiorem humano huic admiribiliq́ue opificio adiunxit, quæ non ex compositione elementali corporea penderet, & esset vitæ animali & vegetatiuæ superior, hanc animam diximus: Quæ sine corpore esse potest, postquam scilicet à corpore seiungitur morte. Et septimò, quia anima simul & semel, ac perfecta sunt eius organa in corpore hominis, creatur, & corpori infunditur, fit alius gradus vitæ hominis intelle-

ctualis, qui quidem habet omnes facultates vitæ vegetatiuæ & sensitiuæ, quæ non ex ea animali vel plantæ, inferioríue commixtione, sed ex animæ pendeant & regãtur vi & potentia: hæcque anima suprà corpoream est substantiam sibi subiectam, si suum tueatur gradum. Nam si ei corpus & vita sensualis imperet, tunc ad gradum inferiorem, ex proprio decidit. Et quia vicinitas illa graduum bruti & rationis in anima, mouet pugnam in subiecto hominis, altior & præstantior erit in cœlo gradus & in angelo: In cœlo septimus, habita ratione corporis, quod liberum est, omnesq; suas actiones secundum legem à Deo præscriptam, exerit sine pugna & impedimento aliquo: In angelo autem octauus gradus, eo quod, & ipse non patiatur pugnam corporis, & sine corpore est, & præstantius anima nostra intelligit, efficacius operatur, gratia firmatur ne labatur, proximius Deo accedit, vnde omnia perficiuntur, vbi vltimus & summus gradus, perfectio ipsa aliorum, fons rerum omnium.

Graduum

Graduum perfectionis naturæ Epitome.

Ordo, quo à Dei perfectione, res declinant.

1	Deus.	9	
2	Angelus.	8	
3	Cælum.	7	
4	Homo.	6	Ordo,
5	Anima rationalis.	5	quo à
6	Vita sensualis.	4	simpiicibus ad
7	Vita vegetabilis.	3	perfectiora sit ascensus.
8	Elemẽtata vel silẽtia.	2	
9	Elementa, principia simplicia.	1	

De Dei nominibus. CAP. II.

DE Deo hic, non quidem de cognitione essentiæ eius perfecta, quia incomprehensibilis est, sed quatenus concessum est, agemus.

Nomina quæ Deum dicunt, vel significant vniuersaliter, vel per compositionem caballasticam, vel per attributionem, vel metaphoricè, vel per relationem ad creata, vel ratione proprietatis. Generaliter vt plerumque, omnibúsque ferè orbis populis, appellatio hæc numinis summi, est quadrilitera. Apud Hebreos, אדני adonai, יהוה Iehoua, אהיה eheieh, qui est,

&c. Assyriis, Adad: Persis, θυρὴ. Aegyptiis θωὺθ vel θεὺθ: Magis, ὀρομὴ: Arabibus, ἀλλὰ: Græcis θεὸς: Turcis ἀγλὶ: Ethruscis ἰσαχρ: Latinis, Deus: populis noui orbis, zimi.

Per compositionem Cabalisticam, ex sacris literis cabalistæ plura nobis tradunt nomina, vt ferunt, virtutis & efficaciæ admirabilis, cuiusmodi nomen illud quod dicunt sem hamephorah, quadraginta literarum: nomen agla, & similia, de quibus si Deus vitam largiatur, & velit, latius in iam præparatis dicemus commentariis de Deo. Per attributionem, nomina sunt septuaginta fortitudinis, qualia benedictus, creator, magnus, &c. Et totidem amoris, vt vir, iustus, &c. quibus ab iisdem cabalistis appellatur: quæ in commentariis vtroq; idiomate, & Hæbreo & Latio, exhibebo.

Metaphoricè Deus, siue per translationem, dicitur Leo, astrum, pastor, custos, &c. Per relationem ad creata, creator, dominus, sanctificator, refugium, salus, &c. Ratione proprietatis, Deus dupliciter dicitur, vel ratione proprietatis personalis, vel alterius. Personalis proprietas, sanctissimam trinitatem exprimit, in qua pater generans, filius nascens, & spiritus sanctus procedens. Ratione alterius proprietatis,

Deus

Deus dicitur Bonitas, fons bonorum. Sapientia, vita, deitas, essentia, æternitas, perse existens, &c.

Nomina Dei & Domini nostri IESV-CHRISTI sunt, Christus, vnctus, Messiah, Emanuel, verbum Dei, vnigenitus patris, primogenitus virginis Mariæ, α & ω, via, veritas, panis, vita, iustitia, semen iustum, filius hominis, vermis, &c.

Nomina Spiritus sancti, charismatum largitor, digitus Dei, columba, ventus occultè gratiam inspirans, ignis, mel, ros, oleum animam impinguans, animumque exhilarans, paracletus, consolator.

De *distinctione ueri* Dei *ab idolis, & unde idola.* CAP. IIII.

DEus, aut verus, aut fictus, seu idolum. Deus verus, vnus est substantia. Malac. 2. ca. 1. Corint. 1. Sapien. 12. Deus Deorum dominus. Psal. 49. In personarum trinitate, pater, filius, Spiritus sanctus. Sunt & Dij dicti participatione homines aliquādo, vt ob creationem, filij excelsi omnes. Psal. 81. vel ob adoptionem, regenerati Christiani. Roma. 5. & 8. Ioha. ca. 1. vel participatione beatitudinis, & eius fruitione: vel ob ministerium Dei exequutum, vt

Moſes conſtitutus à Deo, Deus Pharaonis, Exod. ca. 7. & angeli boni, dij. Iob. ca. 1. Quodque iudices Dei iudicium exerceant, dij dicti. Exo. 22. Pſal. 46.

Falſi dij, originem habuerunt ex Diaboli impietate, vel ex præſumptione & ſui ſuperbia, ex aliorum fictione, ex inani ratiocinatione, ex admiratione virtutis, ab euentibus, locis, regionibus, à metu & ſuperſtitione. Diaboli impietas vel ſuaſio, potiſſima fuit idololatrię cauſa, & ſeminarium falſorum deorum. Voluit ipſe enim, eſſe Deus & ſimilis fieri altiſſimo, Eſai. 14. voluit & adorari ab ipſo Deo domino noſtro IESV-CHRISTO. Math. 4. ſic dij gentium, dæmonia. Pſal. 80. eáque perſuaſione primos parentes aggreſſus eſt, eritis ſicut dij, Geneſ. 3. Præſumptione autem propria deos ſe dici voluerũt & paſſi ſunt, ſuperbia vel rerum placido ſucceſſu, plures. Vt rex Tyri, Ezechiel. 28. Herodes, Actuum, 12. Alexander & alij. Fecerunt aliqui ſibi deos, & vnaquæque gens fabricata ſibi eſt Deum ſuum, 4. Reg. 17. vt Sydonij, 3. Re. 12. Epheſij, Actuum, 19. adoraue-
runt & rectores orbis terrarum, Sap. 3. Atque per adulationem Deum dixerunt Nabuchodonoſor. Iudith. 5. vt ob nimiam dilectionem, aliquando filij parentes, & cõ-
trà

trà patres filios post mortem venerati sunt, & dicarunt cultus diuini ergò, statuas. Sapient.14. Sicut & ob virtutem insignem & miracula voluerunt, Dei honores deferre Apostolis, Actuum.14. Prisci, rerum inuentores, vel qui earum vsum docerent, pro diis honorarunt. Lactant.lib.1.cap.18. eósque, qui eis aliquo modo profuissent. Hinc illa farrago idololatrię, Cereris, Bacchi, Iouis, Herculis, & similium. Fuit & aliquando Dei delatus honor tyrannis, ad consiliandas sibi eorum mentes.

Ex inani ratiocinatione, pertinaces in suis axiomatibus philosophi, cùm non possent ad supremum primum & pręcipuũ gradum conscendere principiorum, quæ sibi persuadebant esse principia priora, cõstituerunt deos: Sic Alcmeon, deos dixit sydera: Alexander Milesius, astra: Anaximenes Milesius quoque, aërem: Aristoteles, sed variè, mundum & mentem: Brachmanes, lumen rationis: Cleanthes Assius Stoicus, æthera: Chrysippus, diuinam necessitatem: Democritus pœnam & beneficium: Empedocles quatuor elementorum naturas: Heraclitus Ephesi⁹, deos ex igne: Parmenides & Melissus, coronam quãdam fictitiam vniuersi: Prodicus Ceus, quatuor elementa, solem atque lunam: Pytha-

ras Samius, & Mar. Varro, animam per vniuersum mundum meantem: Straton & Lucretius naturam. Stoici mundum: Speusippus vim naturalem: Theophrastus, vnũ & vniuersum & omne: Zeno Citieus, diuinam legem & æthera.

Ab admiratione virtutis, virtutes ipsas, & alia, pro numine habuerunt: vt pudicitiam, concordiam, spem, honorem, clementiam, fidem. Sic de vitiis etiam aliquibus: Ab euentibus, fortunam, victoriam, & similia deas fecerunt. A locis, plures ethnicis, vt terrestres, cœlestes, inferi palustres, montani, marini, fontanales, fluuiales, manes, lares, &c. A regionibus cœli & alios distinxerunt, de quibus ad fastidium vsque Cicero. Metus & superstitio, eiusdem farinæ quoque deos fecit, serpentes, dracones, pomonam, floronam. Faciunt & Deum suum quidam ventrem, ideſt voluptatem, vt 1. Corin. ca. 6. ad Philipp. 3.

De *Theologia*. CAP. IIII.

QVia theologia, nihil aliud est quàm sermo de Deo, de ea disputandi conueniens sequitur occasio: hoc tamen, præter morem in superioribus vsurpatum, eo quòd de rebus agatur, arduis, probationes quasdam

quasdam subnectemus dictis, ne dum commentaria in has syntaxes expectantur, dubius remaneat & ab authoritate diuinæ paginæ ieiunus & destitutus animus.

Basis itaque & fundamentū Theologiæ, DEVS.

Atsermo de Deo vel theologia. Docet in summa, DEVM cognoscere, eius mandata & ecclesiæ vniuersalis seruare, mysteria & sacramēta legis, fœlicitatem beatorum, pœnas, & supplicia contumacium: Theologia, alia vera, alia falsa: vera rursum, triplex, mystica, symbolica, simplex. Mystica theologia, est secretissima mentis cum Deo loquutio, diuinæ caliginis intuitio, & ad Deum per secretiora & admirabiliora scansio, qua per contemplationem, quis erigitur, vsque ad ipsam vnitatem, Deo magis appropinquando, relictis sensualibus & intellectualibus ipsis. Symbolica, est quæ per figuras & inuolucra quædam alia, diuina significantia, ea quæ Dei sunt exhibet. Quemadmodū, Pythagoras olim suis dogmata tradidit: & Dominus noster IESVS CHRISTVS parabolis seu parœmiis vsus: symbolicæ & Prophetarum aliquæ visiones, & angelorum apparitiones. Simplex theologia, est quæ ita simpliciter docet, ac tradit.

Falsa

Falsa Theologia, est deorum falsorum, fictæq; religionis,& hæreticorũ. Eusebius, aliter theologiam diuidit, in fabulosam, naturalem & ciuilẽ. Fabulosa, quam & historicam dicunt, poëtis maximè attributa. Naturalis & mystica, quam sapiẽtes approbarunt. Ciuilis quæ in singulis ciuitatibus, consuetudine & legibus defenditur.

Theologia, cõtinetur in lege antiqui testamenti,& noui: vtraque, scripta & nõ scripta: volumina rursum testamenti antiqui, diuidunt, in legem, prophetas, & hagiographa, Hebræi. Legem scriptam dicunt, תורה בכתב cuius quinque libri, Genesis, habens 50. capita: Exodus, habens cap.40: Numerorum, capitum 36. Deuteronomium, cap.34. Prophetas, in maiores vel primos,& minores diuidunt. Maiores illis, Iesaias, habens capita 66. Hieremias, habẽs capita 53. Ezechiel, habẽs cc.48. Cõnumerant inter primos prophetas Thalmudistæ libros Iudicum, Iosue, & Samuelis, idest primum & secundum Regum, & Melachim, idest 3.& 4. Regum. vt ait Galatinus lib.1. aduersus Iudæos ca.1. Minores dicunt Prophetas, Oseam, Ioëlem, Amos, Abdiam, Micheam, Nachum, Abbacuch, & alios sequentes, inter sacra Biblia.

Hagiographa, hæbræi vocant כתובים

inter

inter quæ annumeramus libros Sapientiæ, Eccleſiaſtem, Eccleſiaſticũ, Pſalmos, Prouerbia: Hiſtoriales, Ioſuæ, Iudicũ, Heſter, Thobiam, Ruth, &c.

Notat Rabi Kimhi in directorio viarum linguæ ſanctæ, per verſus apud Hebræos ſacra Biblia fuiſſe ſcripta, atque in libris legis, eſſe verſus 5845. Prophetarum omniũ qui in Hæbraico extarent ſermone, 9294. Hagiographorum. 8064. Quod non eſt referendum ad omnia volumina, quæ hodiè extant Latinè excuſſa, quæ quamuis ſint in canone eccleſiaſtico, & meritò recepta, nõ tamen ſunt in canone Hæbræorum.

Legem non ſcriptam Hæbræorum, kabalam & traditionem dixerunt antiqui: Et Rabini eorum nominant תורה שבעל פה ideſt legem quæ in ore, ſcilicet Moſis, data eſt in monte Synai, quam ille tradidit Ieoſcuæ, Ieoſcuas autem ſenioribus: Seniores prophetis: & prophetæ viris ſynagogæ magnæ, vt ſcribitur in libro qui פירקי אבות ideſt capitula patrum. Per hanc, intelligunt, myſticam & ſpiritualem legem, publicatam primùm à Mayr, qui, ex Idumæo necromantico, factus Iudæorũ proſelytus, falsò interpretatus eſt legem diuinam & prophetas, & legẽ illam contexuit & confinxit quam dicunt Miſna, id eſt ſecun

cundam legem,& multis voluminibus illustrauit & prę∫cripsit Rabi Monoa: vt refert Iacob.de Valentia in Psalmum 81.

Noui testamenti lex etiam, & scripta & non scripta est.Scripta, habet Euangelia 4, Sãctorum Matthęi,Marci,Lucæ, Iohãnis. Continet & historiam Apostolorum, Epistolas eorundem, & prophetiam Apocalypseos.Non scripta continetur traditionibus Apostolicis & Ecclesiasticis,vniuersalibusq; synodis. Et in summa, in omnibus sacris voluminibus & constitutionibus,littera, gesta docet:quid credas, allegoria: moralis, quid agas:quo tendas,anagogia.

De Epitome totius Theologiæ.

CAP. V.

APostoli Domini nostri IESV CHRISTI,pædagogi totius ecclesiasticæ disciplinæ præstantissimi, omnem fidei & theologiæ rationem in capita duodecim, per cõpendium coniecerunt.Singulis quid de ea sentirent exprimentibus,vnde epitome illa, nobis symbolum dicitur Apostolicum.Hocque Christianis vbiq; per orbẽ vniuersum,pro tessera est, qua se interno-scant: & pro lapide Lydio, ad quem dicta, facta ve,& scripta nostra, relata & collata, num Christiana sint,comprobentur.Oportet

tet autem credere antequàm intelligamus. Esaię cap. 7. Quamobrem omnia capita fidei & symboli apostolici, per verbum credo incipiunt.

Symbolum apostolicum.

ss. *Apostolorum nomina.*	*Articuli.*
1 D. PETRVS.	Credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ.
2 D. ANDREAS.	Credo in IESVM CHRISTVM, filiũ eius vnigenitũ.
3 D. IOANNES EVANGEL.	Qui conceptus est de Spiritusancto: Natus ex Maria virgine.
4 D. IACOBVS MAIOR.	Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus.
5 D. THOMAS.	Descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis.
6 D. IACOBVS MINOR.	Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei patris.
7 D. PHILIPPVS.	Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.
8 D. BARTHOLOMAEVS.	Credo in Spiritum sanctum.
9 D. MATHAEVS.	Credo ecclesiam catholi-

tholicam, Sanctorum communionem.

10 D. SIMON. Remissionem peccatorũ.
11 D. IVDAS. Carnis resurrectionem.
12 D. MATHIAS. Vitam æternam.

De Theologiæ uinculo, dilectione, & diuinis præceptis.

CAP. VI.

EX dilectione, pendent lex & Prophetæ. Ea autem est, Dei,& proximi. Dilectio Dei,instituitur per tria priora præcepta primæ partis tabularum mandatorum diuinorum, sicuti reliqua Decalogi mandata,actus nostros ad proximi dilectionem formant. Sunt & alia extra Decalogum, quę & eodem referri par est. Decalogi præcepta decem sunt.

1. Non habebis deos alienos corã me. Exod.20.Deut.6.& 5. Leui.26.Psal.80.Iosue 24.1.Corinth.6.& 10. Genes.35. Hic cultus iniungitur diuinus. Dilectio Dei,est cordis,in fide,spe, & charitate. Fidei diuinæ aduersantur,vel repugnant,omissio bonorum operũ, infidelitas, dubitatio fidei, nimia scrutatio eiusdem, hæresis, fidei abrenuntiatio, magia, incantatio, obseruatio sortium,dierum, & temporum & somniorum vana,irreuerentia in Deum & eius sanctos,

ctos, superstitio, idololatria, idest deferre cultum qui soli Deo debetur, creaturis. Spei bonæ aduersatur excessus, nimia sui confidentia, nimia securitas, vel nimia præsumptio suorum meritorum: aduersatur & defectus, desperatio misericordię Dei. Repugnat & charitati dilectionis Dei, seruili timore & pœnæ formidine, Deum colere, vel ob retributiones solas & res temporales, cúmque odio proximi: item anteponere diuinæ voluntati hominum iussa.

2 Non assumes nomen Dei tui in vanum. Exod. 20. Quo præcepto, dilectio Dei in verbo, mandatur. Cui repugnat, periurium, blasphemia, hypocrisis, votum pro vanis & illicitis, voti culposa dilatio, & infractio, iuramentum temerarium, cuiusmodi illud est, quod non fit cum iudicio vel discretione rerum, cum veritate, necessitate cogente, pro iustitia, & cum Dei reuerẽtia. Assumit & nomen Dei in vanum, qui sacris mysteriis, sacramentis, & gratia diuina abutitur.

3 Memẽto vt diem Sabbati sanctifices. Exod. 20. Hoc iubet & re ipsa Deum diligere. Cui repugnant, excessus & defectus. In excessu peccatur, festis diebus opus facere seruile. Dare operam ludis, theatris, negotiationibus, irreuerenter vel superstitio-

sè sacros dies colere: defectu committitur in illud præceptum, non omnino vel malè, vel pro parte colere, omittere quæ diuini officij sunt vel sacrarum ceremoniarũ, non ieiunare, ieiunia temerè peruertere.

4 Honora patrem tuum & matrẽ tuã, vt sis longæuus super terram. Honor hic, consistit in veneratione, obedientia, ope & auxilio spirituali & temporali. Pater propriè & mater, ratione generationis dicitur. Patris nomen tamen hîc, referri potest ad Deum ratione creationis, & generationis, dignitatis, curæ & potestatis, Erit & pater ratione informati animi & ingeneratæ doctrinæ, discipulis præceptor: patrimus, qui cathechizat & instruit baptizatos, prælatus, magistratus, & ratione potestatis & solicitudinis paternæ, princeps, tutor, adoptans: & ratione ætatis, senior. Inhonorantur isti omnes, ingratitudine, inobediẽtia, irreuerentia, contemptu, irrisione, contumelia, detractione: si percutiantur, si non alantur, si non iuuentur.

5 Non occîdes: scilicet, neque te neque alium, non ore, non corde, non opere. Corde, qui odit fratrem suum, homicida est 1. Iohan. 3. Ore, contumelia, detractione, & consilio necem quis inferre potest, saltem bonæ famæ interitum. vt iudices, sententia

etiam

etiam innocenti possunt vitam impiè adimere. Opere, quis potest vel ansam exemplumq; dare perditionis, vel manu propria, duello, alióve modo occidere, vel auxiliari, vel occasionẽ præbere, vt venenum vel poculum subiicere. Licet tamen certis de causis interdum, non quidem propria sed publica authoritate, mortem inferre. Sic licet animalia ad vsum vitæ cõcessa, sine iniuria tamen alterius, necare: licet pœnas vltimi supplicij, lege iusta aliqua iubente, impiis irrogare: in bello indicto iusto, hostes interimere. Se autem occidere vlla ex causa non licet, verùm oblatam mortem & illatam eligere potius, quam aliquid scelestũ committamus, æquo animo & alacriter, ob Dei fidem, salutémq; proximi, licet & decet. Sicuti sancti Dei martyres, post martyrum omnium caput, fecerunt.

6 Præceptum, Non mœchaberis. Exod. 20. Mar. 10. ad Hebr. 13. Hoc præcepto, sordes veneris illicitæ submouentur & prohibentur. vt mollicies, qua se quis voluntariè polluit: Corinth. 6. Genes. 38. infandum crimen Sodomiticum, ad Rom. 1. Genes. 19. Leuit. 20. concubitus cum brutis, Leuit. 20. prohibetur, & cum mulieribus extra matrimonium: ideo damnata fornicatio dicta simplex 1. Corinth. 6. ad Ephes. 5. non erit

ſcortum. Deut. 23. prohibetur adulterium. Leuit. ca. 20. Tob. 4. item ſtuprum, vel cum virgine, vel vidua: Inceſtus cum conſanguinea vel affini: ſacr lega cõmixtio cum moniali, monacho, preſbytero, diacono, ſubdiacono. Raptus, cõtra voluntatem coniugum vel parentum: vel ante nuptias cõiunctio: abuſus vxoris in concubitu: & omnis illa turpiſſima fellatio, & irrumatio.

7 Non furtum facies. Exod. 20. ad Epheſ. 4. Mar. 10. Hoc prohibetur iniuria à bonis proximi, ſicuti ſuperiori prohibebatur à perſona.

Furtum eſt, inuito domino, rem eius contrectare, illicitè retinendo, ſubſtrahendo, latrocinando, prædando, per artes licitas extorquendo, vt ludo, lenocinio, adulterio, vſuris, rapere, ſimoniacè adipiſci beneficia: bona pauperum retinere, bonis à Deo conceſſis abuti: malè bona alterius diſpenſare.

8 Non loqueris contra proximum tuũ falſum. Exod. 20. Deut. 5. Leuit. 19. Hoc in iudiciis egemus, ne quis falsò deferat, accuſet, teſtetur, iudicet: item in ſocietate cõſeruanda hominum, ne falſum quis dictet, ſcribat, dicat, quod famam, amicitiam, veritatem, honorẽ alterius tollat, imminuátve: conuitiando, calumniando, nequis mentiatur.

Men-

Mendaciorũ D. Augustinus ſpecies conſtituit plures, libro proprio: capitale, vt in religione: alicui nocens & neminẽ iuuans: aliquem lædens & neminem iuuans: aliquẽ iuuans, neminem lædens: in ſola mentiendi fallendiq; libidine: placendi cupiditate dictum: Quod nulli obeſt, & prodeſt alicui, obeſt tamen mentienti, qui nunquam propriam animæ ſalutem debet poſtponere vtilitati vel bono alterius.

9 Non concupiſces domum proximi tui, &c. Exod. 20. 1. Corinth. 10. ad Rom. 7. 2. Pet. 1. Hoc præcepto radix omnium delictorum exſcinditur nempè cupiditas. 1. Timot. 6.

10 Eodem referri debet, vltimum præceptum: Non deſiderabis vxorem proximi. Deus enim maximè cor & voluntatẽ ſcrutatur. 1. Reg. 16. Sapien. 1. quia ex corde, exeũt delictæ & cogitationes prauæ. Math. 15. b. & cõcupiſcentia cùm conceperit, generat peccatum, ex cuius conſummatione mors. Iac. 1. b.

Reliqua de præceptis, & quædam Axiomata de Deo & Theologia.

CAP. VII.

VLtra Decalogi præcepta, alia dicuntur moralia, alia ceremonialia, alia

iudicialia. Moralia de moribus ſtatuunt, quæ non fuerunt in lege Euangelica ſublata, vtpotè quæ iuris naturalis & immutabilia ſint. Ceremonialia, modum & formã colendi Dei præſcribunt. Iudicialia, ad commercia humana & politiam pertinẽt: quorum ceremonialium ſcilicet & iudicialium ſpecies, lege noua partim ſublatæ, inquantum vmbras futurorum referebant: partim retentæ, & rurſum inſtitutæ. Omnia præcepta apud Hæbreos, vel affirmatiua numero 248. vel negatiua numero 365. erant. Reducuntur & illa, ad præcepta Decalogi vel tanquam concluſiones ex illis elicitæ, vel tãquam principia, vel vt ſepes & propugnacula eorum, qualia potiſſimũ ceremonialia.

Axiomata de Deo.

1 Nihil in Deo, quod non ſit Deus.
2 Deus accidentia non recipit, quamuis enuntietur per attributas aliis proprietates.
3 Deus ſubſtantia incomprehenſibilis, ſicut & eius opera.
4 Cogita de Deo, quicquid melius potes: de te quicquid deterius vales.
5 De Deo amplius credere debes, quàm ſcire poſſis.

6 Religio nobis à natura indita: modus autem colendi Deum, ex lege & more receptus.

Axiomata de Theologia.

1 Scripturæ sacræ authoritas, suprema omnibus aliis est, quia à sancto Spiritu dictata, subiectumq; habet nobili' Deum: & finem præstantiorem, vitæ æternæ beatitudinem.

2 Theologiæ studium bene ordinatum, incipit ab articulis fidei, vt aliæ scientiæ à naturaliter notis principiis.

De *Sacramentis.* CAP. VIII.

ELegit Deus certam materiam, per quã addita forma ex sanctorum verborum conceptione, diuinam gratiam suo arbitrio distinctam, hominibus exhiberet: nõ secus ac potestate sua, in creatione rerum, singulis verbo suo concessit, certas & efficaces naturas ex tota substantia pendentes. Sacramentum itaque, & sacræ rei inuisibilis, visibile erit signum in quantum res videtur: sed ratione gratiæ oblatæ, erit vltra signum, res ipsa significata: vt signum est esse animam in corpore hominis, si corpus fungatur hominis actionibus, & tamen ibi vltra signum animæ, anima est ipsa, effi-

cax sed inuisibilis.

Sacramenta, alia legis diuinæ antiquæ, alia nouæ: Antiquæ erant ceremoniæ legales, potius tamen pura signa, quàm verè sacramenta, quòd tantùm futuram gratiam indicarent, non autem exhiberent. 1. Corint. 10. b. ad Hebreos 8. 9. 10. D. Ambros. in Psal. 73. Erat & circumcisio sacramentũ legis antiquæ, quæ delebat originale peccatum præputij minutione, in virtute & fide tamen futuri, non præsentis Messiæ.

Nouæ legis, secundum catholicam ecclesiam sacramenta septem sunt, quibus Deus nos sibi consecrat, sanctificat, nos curat, & conseruat.

Primum, Baptismus Christi in remissionem peccatorum: de quo Iohan. 3. ad Ephesios. 5. 1. Ioha. 5. Actuum. 2. Cyprian. lib. 1. Epistola 12. alius à Beati Iohannis Baptismo, qui in pœnitentiam erat institutus. Actuum. 9. & in actis cõcilij Niceni. Hoc ianua aliorum sacramentorum. ca. fi. De cleri. non baptiza. ministran. in volumine Gregorij.

Secundum, Cõfirmatio, de qua Actuum 19. in concilio Florentino, apud Cypri. De ablutio. ped. & lib. 1. Epist. 12. in conci. Triden. decreto de confir. ca. 1. August. contra Donat. c. 20. Et cõtra literas Petillia. c. 144.

Ter-

Tertium, Eucharistia, Ioha.6.concil.Florent. &c. vocat D. Dionysius Areopagita hoc sacramentum, consummationem aliorum sacramentorum, lib.de ecclesiast.hierarch.ca.4.

Quartum, pœnitentia: Actuum 8.Iohannis. 2.cuius partes contritio, confessio, satisfactio.

Quintum, extrema vnctio, Iacob. 5. D. Chrisosto.tracta.de Sacerdotio.

Sextum, matrimonium. Ad Ephes. 5. Mathæi 19.

Septimum sacer ordo, & potestas, ad tractanda & exhibenda sacrosancta fidei mysteria. 1. Timo. 3. Constituitur autem hic ordo, inter ecclesiasticas personas: quarum inferiores ostiarij tẽpli. 1. paral. 9, 15 & 26. c. ostiarius 23. dist. in decreto magno Gratiani. Deinc lectores, de quibus Actuum 15. Luc. 4. Cypri. lib. 3. Epistо. 23. & lib. 2. Epi. 5. Tertiò exorcistę, de quibus & Actuũ 19. Ioseph. lib. 8. antiqui. ca. 2. Quartò, Acolytæ, de quib. Cypri. lib. 2. Epist. Epist. 8. ca. acolytis 23. disti. ca. cleros 21. dist. Quintò, subdiaconi, ca. subdiaconus, 23. disti. Sextò Diaconi, Actuum 6. dicto, ca. cleros. Septimò presbyter 1. Tim. 3.

Considerantur in sacramentis, Deus, qui gratiam largitur: materia, cui verba accedunt:

dunt: forma in verbis & aliis posita, Minister & dispensator mysteriorum: gratia ipsa concessa, siue res sacramentalis: & character, in his potissimùm, qui characterem imprimunt indelebilem, vt Baptismus, cõfirmatio, ordo. Consideratur & modus exhibendi sacramenta, in quo quædam præcedunt, & quædam sequuntur obseruanda.

SYNTAXEΩN ARTIS MIRABILIS,

LIBER SEPTIMVS.

In quo, agetur de Angelis & Magia.

De *Angelorum diuisione.* CAP. I.

SEcundum locum, post Deum inter substantias Angeli habẽt, in nostra arte: Spiritus diuini, ad ministeriũ Dei, à Deo creati, hominibus, eius voluntate, ad salutem, operandam

operandam etiam officiosi, nuncij & legati Dei, vnde & ἄγγελοι dicti: incorporei, immateriales, impassibiles corporaliter, non mente, quia gaudere, contristari, amare, & metuere dicuntur.

Angeli, omnes creatione & substãtia boni sunt, electione autem facti aliqui mali, distincti ideo ab iis qui boni remanserunt. De bonis prius agamus, de malis deinceps.

Bonorum angelorum synonyma.

Angeli. Genes. 32. Exod. 14.
Angeli boni. eo.
Angeli Dei. eo.
Angeli domini, Genes. 16.
Angeli Sancti, Lucæ. 9.
Fili Dei, Iob. 1.
Electi, 1. ad Timo. 5.
Reges, vel מלכים melachim.
Dij, vel אלהים elohim.
Vigiles, Daniel. 9.

Angelorum bonorum ordo, hierarchia dicitur cælestis, est namque triplex hierarchia, nempe supercælestis, Deitatis solius. Cœlestis, angelorum: Terrestris, militantis ecclesiæ.

Hierar

Hierarchiæ cœlestis ordines nouem, secundum Thalmudistas.

In 1. sũt חיות הקודש, chaioth hakodesc: in quo constituunt angelos, per quos Deus vitam largiatur.

In 2. אופנים ophanim: in quo constituũt angelos, per quos Deus chaos distinxit.

In 3. ארלים aralim, vbi sint, per quos iuncto nomine Dei היהוה haiehoua, Deus fluxibilem materiam largitur.

In 4. השמאלים haschemalim: per quos Deus corpora fabricatur.

In 5. שרפים Seraphim: per quos Deus elementa depromit.

In 6. מלכים Melachim: per quos De⁹ metalla producit.

In 7. אלהים Elohim, per quos Deus producit vegetabilia.

In 8. בני אלהים bene elohim: per quos Deus producit animalia.

In 9. כרובים Cherubim, per quos Deus producit homines.

Secundum Christianos, ex D. Dionysio Areopagita, Hierarchia cœlestis, tres classes, & nouem ordines habebit huiusmodi.

Prima

Prima classis.

In 1. ordine & supremo, viciniores Deo angeli, dicuntur שרפים Seraphim, idest incendentes, & ardentes in illustratione diuinæ contemplationis. Esai. ca. 6.

In 2. כרובים Cherubim: idest multitudo scientiæ. Esaiæ. 6. Ezechiel. 9. & 28. Psal. 79.

In 3. Throni, apud quos, relucet iudicij diuini & voluntatis Dei rectitudo. meminit D. Paul. ad Colo. 1.

Secunda classis.

In 4. Dominationes: ex iis legitima formula dominandi, & imperiorum. Dio. Areopag. lib. de cœl. hier. ca. 8.

In 5. Principatus: ex quibus ducendi, & regendi notio.

In 6. Potestates: ex quibus modi coactionis iusti & legitimi.

Tertia classis.

In 7. Virtutes.

In 8. Archangeli.

In 9. Angeli.

Ordines primæ & secundæ classis, in eō-templatione & dispositione eorum quæ exequi alios oportet, consistere videtur.

Tertia

Tertia autem classis in actione & exequutione.

De officijs bonorum angelorum.

CAP. II.

Officium bonorum angelorum, ministerium exhibet vel Deo immediatè, vel hominibus, vel aliis rebus: in Dei ministerio contemplatio, & voluntatis eius exequutio. Circa homines, ministerium angelorum societates, prouincias, & respublicas & imperia eorum sollicitè curare: vel singulis adesse: in illis custodiendis, consiliandis, defendendis, iuuandis, erudiendis, deducendis, sanandis.

Exhibent autem suam opem, vel inuisibiliter, vt plerumque, vel visibiliter, ea forma, quæ congruit mysterio, vel quæ concipi possit ab eo cui apparent. vt aliquando apparuerunt in forma rotæ, animalium, hominis alati, iuuenis, pastoris, & aliis figuris, vt dicemus in commentariis.

Circa res alias angeli soliciti, cùm eas ex Dei lege disponunt, conseruant, tuentur aduersus dæmonum & aliorum vim, cùm tempestates fugant, vtilia promouent.

De

De dæmonibus siue angelis malis & nominibus eorum quibusdam.

CAP. III.

ANgeli mali, dæmones sunt: quos tamen Ethnici & bonos & malos genios rati sunt esse.

Synonyma, quibus generaliter omnes impij Spiritus, appellantur.

Angeli mali, Psal. 77.
Diabolus, Mathæi 25.
Dæmones, sæpè.
Serpens, Genes. 3. Apoca. 12.
Draco. Apocal. 12.
Beemoth, Iob. 40.
Principatus, ad Ephes. c. fi.
Potestates tenebrarum.
Satan, calumniator, Luc. 10. Mathæi. 16. Apoca. 20.
Volucres cæli, Mat. 13. Mar. 4.
Leo deuorãs, rugiẽs, 1. Pet. ca. fi.
Leuiathan, Iob. 40.
ἀπολλύων, Apocal. 15.
Exterminator, eod.
Vectis, Esaiæ. 25.
Serpẽs tortuosus, Iob. 25.
Tentator, Mathæi. 4.
Inimicus homo, Mathæi. 13.

De

De distinctione Dæmonum, & de quibusdã naturis eorum. CAP. IIII.

DIstinguntur dæmones, vel ratione nominis suppositi, vel ratione locorum in quibus degunt vel operantur. Nomina, varia sunt, partim apud magos vanissima & conficta, partim ex aliqua alia causa illis imposita, vt Beelzebub, Baal, Dagon, &c. A locis, dicti cœlestes, vel aërei, aquatiles, terrestres, subterranei, ignei, vagi. Cœlestes vocat aëreas. Potestates D. Iohannes, Apoca. ca. 13. & D. Paul. potestates aëris huius, ad Ephes. 2. Dominus autem IESVS-CHRISTVS, volucres cœli, quæ bonum semen, in vtilitatem hominum sparsum, deuorent: Mathęi 13. Marc. 4. Luc. 8. istos, dicunt negotiari in aëre, & ex cõgregatione rerum alibi existentum, cõfingere in eo phasmata varia, spectra, idola, acies, pugnas: concitare ἐνυφίας, τυφῶνας, πρηστῆρας, tonitrua, fulmina, pluuias quasdam, grandines, & ventos: corrumpere aëris puritatem, & morbos immittere. Subdiuidere autem, cœlestes licet Dæmonas, in æthereos, & aëreos propriè. Aetherei erunt illi, qui & planetarij, qui vel circa planetas, vel ex planetis, quasdam operationes perficiunt: tótque erunt eorum

ſpecies, quot planetæ, Saturnini, Iouiales, Martiales, Solares, qui ferè in forma apparēt leonis: Venerei, qualis Com⁹ apud Philoſtratum, li. 1. de iconibus: & Lunares. Aërei reliqui ſublunares ſunt, regionibus diſtincti, vt alii orientales, alii occidentales alij meridionales, alij ſeptētrionales ſint, alij diurni, alii lucifugi, quales telchines, laruæ.

Aquatiles Dæmones, qui rebus & hominibus in aquis & per aquas inſidiantur, moliunturq; ſubmerſiones.

Terreſtres, qui ſuper terram inſidiantur, certis regionibus aliquando gaudentes, vt qui rogabāt Dominum ne extra regionem illos mitteret. Matth. 5. Sic aliqui montani, ſyluis gaudentes, vel ibi exorciſmis morari coacti: qui quibuſdam dicti ſunt ſyluani, fauni, ſatyri, quamuis & alioquin animalia videantur: Hæbræis, piloſi שעירים ſcegirim, Eſaiæ 13. & 34. Leuit. 17. ſunt & terreſtrium numero dicti onoſcelides, qui apparent forma crurium aſini, apud Sozomenē. lib. 8. cap. 6. Item aliud Dæmonium ſagarum & veneficarū, hirci forma: ſunt & terreſtres empuſi, vno pede incedentes, & δέιμελοι terrorem incutientes: penates, lares, lemures: genij mali, qualis is quem Brutus antè mortem conſpexit, & Sylla, & Dæmo

nium illud Socratis : tales Teranti, dissidia mouentes : Terristratores, qui insidiantur verbo, cogitatione, opere, hominibus, animalibus, rebus. Item Spiritus, fornicationis apud Oseam cap. 6. Leuit. 20. Deuter. 18. & aliorum vitiorum suasores : De quibus Origen. homil. 15. in Iosue, & D. Hieron. in ca. 6. ad Ephes. tales ei incubi, succubi, quos vocabant Dusios Galli. De quibus & D. August. lib. 15. de ciuit. capi. 23.

Subterranei Dæmones, pernicio sissimi, qui sæpè apparent puteos & metalla effodientibus : Nominat duos Georgius Agricola, lib. de subterraneis animalibus, alterũ Annebergium, alterum Suebergium. ij ruinas adstruunt, terram concutiunt.

Ignei, qui in igne, vel circa degũt, vel per ignem operantur. Vagi dæmones, miseri magis dicuntur ab Empedocle, errantes, quos impellat æther in pontum atrum, & inde pontus in continentem proiiciat, tellus rursum agat in solem rapidum, qui posteà implicet illos telluris vertigini, vt ait Plutarch. lib. non esse fœnerandum.

Dæmonum quorundam qui sibi Dei cultum usurpauerant nomenclatura.

CAP. V.

Adoni

ADonis, Thamus Hæbræis. id. consumptus, siue incendium: idolum Syrorum. Ezechiel, cap. 8.

Adramelech, idest palliũ regis, vel magnitudo, vel potentia regis: idolum Sepharnaitarum. 4. Reg. 17.

Anamelech, idest afflictio vel responsio regis: etiam Sepharnaitarum idolum. 4. Reg. cap. 17.

Asima, idest delictum: idolum virorum Emath.

Astharte, à caule vel grege dicta Dea: idolum Sydoniorum. 3. Reg. 11. 4. Reg. 23.

Astaroth, idolum Palestinorũ. Ioseph. lib. 6. antiq. cap. 14. 1. Reg. 4. 7. & 4. Reg. 23.

Baal, idest dominus, vel subiiciens, aut possidens: idolum Sidoniorum, Samariæ & Moabitarum. Numer. 22. Iudic. 6. ad Roma. 11. De hoc 3. Reg. 16. 18. 19. 22. & 4. Reg. 3. 10. 17. Hieremiæ cap. 2. 12. 23. 32. Oseæ ca. 2. 10. 13. Martem, Græcis fuisse arbitratur Lactantius lib. 2. de orig. error. cap. 15.

De Baalim Iudic. cap. 2. 3. 8. & 1. Reg. 7. 12. & 3. Reg. 8. & 2. Paralip. cap. 24. 28. 34.

Baalberith, fœdus Baal, phanum Baal. Iudic. cap. 9.

Beelzebub, idest Dominus musca, idolum Accaronitarum. 4. Reg. 1. Matth. c. 10. 12.

Marci 3. Lucæ 11. Princeps dæmoniorũ, vt Pluto apud Græcos.

Bel, ideſt vetuſtas, idolum Babdoniorum, Hiere. 50. 51. Daniel. 14. Eſa. 46. Belphegor, ideſt dominus hians, vel aperiens, dominus nuditatis: Idolum Moabitarum Oſeæ cap. 9. 1. Numerorum 25. Deut. 4.

Chamos, quaſi palpans vel recedens, vel auferens: Moabitarum idolum. Num. 21. 3. Reg. 13. 1. Parali. 20. Hierem 48.

Dagon, ideſt frumentum, vel dolor, vel piſcis eorum: Idolum Philiſtinorũ. Iudic. 16. 1. Reg. 5. 1. Machab. 10.

Deumus, cacodæmon adoratus in Tamerani inſula. Ludouicus Romanus Patritius lib. 5. Nauigation cap. 2.

Melchon, rex vel conſiliator eorum, idolũ filiorum Amon. 4. Reg. 23. 1. Paralip. 20. Hiere. 49.

Militia cœli, ſiue ſtellarum numen, Deuter. 17. & 4. Re. 17. 21. 2. Paralip. 33. Hierem. 19. Sophon. 1.

Nergal, ideſt explorans, vel lucerna: Idolũ Cuthæorum.

Nibhas, prophetans, vel viſionem loquẽs: Idolum Euęorum.

Regina cœli, Hieremiæ 44. quo loco, legũt Hæbrei, opus cœli, vnde alij horoſcopia, alij lunam intelligunt.

Phegor

Phegor, hiatus, nuditas, Numer. 25. Deut. 3.4. Iosue. 22.

Remom 4. Reg. 5. ideſt, altitudo.

Remphas, exaltatio nihili. Actuum. 7.

Serapis, idolum Ægyptiorum, apis & oſiris dictum, quod Porphyrius putat principem & imperatorem malorum dæmonum, & teſſeram Theodoretus li. 3. Græcar. affectio.

Succor Benoth, ideſt tabernacula filiarum, idolum Babiloniorum.

Tarthar, concathenatus, idolum Heneorũ. 4. Reg. 17.

Vualdat, idolum etiam Babyloniorum: Abdias lib. 8. hiſtor. Apoſtolicæ. Obſeruarũt & aliqui, illa nomina Iupiter, Mercurius, & aliorum idolorum, fuiſſe no hominũ, ſed dæmonum, vt Origenes contra Celſum. Euſeb. lib. 4. Præpar. Euang.

Alia diſtinctio dæmonum, ex operibus eorum. CAP. VI.

DIſtinguntur etiam dæmones, à muneribus quæ exequuntur. Quamobrem, aliqui vltores ſunt ſcelerum, Eccleſ. 39. & ita vſurpatur illud, tradi ſatanæ & angelis eius: talis poteſt eſſe qui dicitur Aſmodeus, deſtructor, vel ignem menſu-

rans. Tob. 3. aliter dictus Samaël. Talis & Abbadon. 1. perdens. Alij præstigiatores & magici, alij seminatores malorum. Apocal. 7. Alij criminatores, exploratores Apocalyps. 9. Alij tentatores, quales παρέδροι assessores diaboli, ad vitæ tædium & desperationem impellentes, alij insidiatores, &c.

Insinuant se, & hominibus apparent dæmones, istis de causis potissimum:

1 Si inueniant eos vacuos bonis actionibus.
2 Si sæpè innocentur, si se ipsis quis deuoueat.
3 Si curiosa quis sectetur,
4 Vel ardeat habendi desiderio.
5 Si impurus sit, non secus ac beati mundi, Deum videbunt.
6 Si nimio odio proximi, vltionem pernicioſissimè expetat.
7 Si nimia tristitia deiiciatur.

De Magiauetita & potestate dæmonum.

CAP. VII.

SVbiectum improbatæ magiæ & præstigiorum, in dæmonibus est, & in superstitione vana.

Exercent

Exercent itaque potestatem suam dæmones, in ea quæ animi, quæ corporis, quæ externa sunt. In animum agunt, eundem de mente ac sanitate deturbantes, infatuãtes, phantasmata porrigentes: sicuti, dum Saul furebat, quando possidebatur ab spiritu malo, 1. Reg. 16. Et lunatici apud D. Math. 17. agunt & persuadendo intrinsecus mouentes voluntatem: incitant & eandem extrinsecus, cùm mouent corpus obiectis, philtris, veneficiis: cogunt autem, nunquam. perturbant & animum, dum Dei permissu inuadunt animam, vt apparet in energumenis, item dum imbuunt malis artibus & magicis aliquem.

Super corpora potestatem exerunt, vel transferendo corpora, sicuti Mathæi 4. & vt ferunt fide digni authores, Simonem magum per aëra volasse, Egesippus lib. 3. de excidio Hierosoly. D. Ambros. sermo. 66. & in cap. 8. ad Romanos D. August. sermo. 3. De Petro & Paulo. Quod & bonos angelos aliquando fecisse legimus: Sic enim puto raptum Eliam, Abbacuc delatũ in lacum Danielis. Dan. 14. Et D. Philippum translatum in Azotum, Actuum 8. Operantur & magicè mutando corpora, si vera sunt quæ referunt mutatos fuisse socios Vlyssis à Circe, in bestias, vt Plutar. in

Grillo. Virgil. in Pharmaceutria, Homerus & alij scribunt. Item socios Diomedis, in-aues, apud Virgil. in 10. Ænei. & Ouid. 4. Metamor. Archades traiecto stagno, in lupos apud Plinium lib. 8. cap. 22. Homines in iumenta, apud D. August. lib. 18. de ciuit. & Pallad. in vita Macharij Alexandrini cap. 19. & 20. Sicuti & sacra pagina in exordio tradit virgas in colubros mutatas, aliáq; magicis incãtationibus à magis Pharaonis. Rursum & potestatem in corpora exerunt, occidendo, Dei permissu. vt Iob. c. 1. Morbos inferendo, fascino, incãtatione, mutatione & corruptione elementatorũ: constringũt & concumbendi cum mulieribus potestatem, can. Si per sortiarias, ca. requisisti, 33. q. 1. tit. de frig. & malefic. Quod operantur (secũdum Palladinum Hierosolymitanum episcop. in 4. Senten. distinct. 34. quæst. 2. arti. 5.) modis quinque:

1 Per interpositionem corporis.
2 Per refrigerationem virtutis generatiuę.
3 Per detentionem membrorum genitalium.
4 Per occlusionem spirituum, quorum vi fit congressus:
5 Per speciem menti obiectam, quòd videatur mulier turpissima.

Dicunt in res externas dęmonũ potestates

es apparuisse, in traductione facta aliò messium satarum, vt ait Virgilius in Pharmaceutria: dúmq; ait, 4. Æneï. deduci montibus arnos, sicuti & Plinius li. 17. cap. 23. tradit alia similiter iisdem incantationibus, traduci: operantur & mirificè in externa, subtiliter mouendo, tollendo, impellendo, & aliunde in vnum locum cogendo.

De definitione & distinctione magiæ.

CAP. VIII.

MAgiæ nomen, Persico idiomate, tantùm exprimit sapientiam & apicem perfectioris philosophiæ: Nam iidem sunt magi apud Persas, ac apud Græcos, philosophi: apud Indos Brachmanes & Gymnosophistæ: Apud Gallos Druydæ, Bardi, & Semnothei: apud Siculos Galeotæ: apud Aegyptios, sacerdotes: apud Italos Hetrusci, haruspices: apud Latinos sapientes: apud Caballistas, prophetæ: apud Babylonios & Assyrios, Chaldęi. Cæterum, cùm ferè cuncta saluberrimis orta initiis, peruenerint ad nimium, degenerarunt & discipuli aliqui à magorum & sapientum puris putísque institutis, atque aliquando præter modum curiosi, vel affectata quadam sciendi superstitione, metas veræ sapientiæ

transgredientes prolapsi sunt in vanas illas magiæ improbatæ obseruationes, & tam celebri magiæ nomine conspurcato, in odium appellatio antea honoris & præstantiæ, conuersa & in dedecus est: vt & docet Plinius lib. 30. ca. 1. & alibi. Constat igitur, ob abusum magiam exosam: at quatenus suis regulis cõtinetur, cognitionẽ esse rerũ eximiarum, diuinarum & humanarum, siue naturalium, aliamq; probam nempe naturalem, & diuinam: aliam improbam, nempe dæmonicam, natam ex abusu diuinæ sapientiæ, & superstitiosam, natam ex eiusdẽ abusu & rerum naturalium. Naturalis magia est, quæ ex naturis rerum, nõ omnibus sed doctioribus & peritioribus cognitis, pendentibus vel ex tota compositi substantia, vel certa aliorum mixtione effectus operatur mirabiles: estq; philosophiæ physicæ consummatio, atque apud vulgus instar miraculi. Quare hæc accipit, effectus à natura, & virtute cœlorum, stellarum, elementorum, animalium, metallorum, plantarum, lapidum: quorum scientia, ex astrologia, metaphysica, physica, medicina, experientia & obseruatione.

Siue sit diuinatrix, qua futura & effectus ex causis naturalibus pendentes prædicat: siue operatrix, quæ mirabilia ignorantibus causas

causas & vires rerum, exhibeat. Diuina sapientia vel magia, quæ in virtute, in nomine & potestate Dei, non rebus naturalibus consistit: veluti, quando prophetæ ventura prædicunt, quãdo eo modo miracula Christiani perficiunt, vel fide, vel oratione: vnde vera cabala, quæ non est superstione Rabinorum, conspurcata, fluit, composita ex nominibus omnipotentis Dei, vel expressis in sacra pagina, vel extractis arte aliqua, vel receptis per manus à viris sanctis.

Improba, dæmonica, vana & superstitiosa, est quæ Theurgia & γοητεία dicitur, illaq; aut simplex inuocatione & operatione constans dæmonum: Aut composita, scilicet addito quodam fuco naturalis cuiusdam virtutis, vel veræ religionis interposito colore, vt incauti, eius prætextu decipiantur, & plerumque illa composita, est specie recti decipiens.

Composita itaque magia vanissima, vtitur inuocationibus dæmonum, vel tacitis cum iisdem pactionibus, quæ maximè homini Christiano, abominatio: & vt fraudes celet, addit ex quatuor elementis aliquid, vel terræ, vnde geomantia: vel aquæ, vnde hydromantia: vel aëris, vnde aëromantia: vel ignis, vnde pyromantia. Abutitur hominibus olim eos sacrificare iubens, vt exta inspi

inſpicerentur. Abutitur & hominibus, vt inſtrumentis ſuæ impietatis, per eos promẽte dæmone oracula p os, per pectus, per vmbilicum, per genitalia, vt ſcribit Plutar. De ceſſatio. oracu. Iamblychus, De myſteriis Ægyptiorũ. Origenes lib. 7. contra Celſum. Euſtathius, in 2. Iliad. D. Chriſoſt. homil. 9. in epiſt. ad Corinth. Cæl. Rhodig. lib. 4. ca. 10. Scrutatur & magia, in manu lineas, vnde nata χειρομαντία, vultus, & faciei ſectiones, & proportiones, (quæ tamen, ſi non excedant temperamenta corporea, nõ omnino improbantur) hanc dicunt phyſionomiam.

Abutitur etiam animalibus, dum ex auiũ garritu, perſuadere futurorum nititur cognitionem, hanc dixere augurium, vt ait Cicero. 2. de diuina. vel dum diuinat per earundem inſpectionem, vnde haruſpiciũ, auſpicium ſeu οἰωνοσκοπία, Tireſiæ inuentũ, ſecundum Plinium lib. 7. capit. 56. vel dum volatilium iubet paſtum, cautum, volatum, obſeruare, ac ſi in illis eſſet diuinitas, aut futurorum notio, cùm tamen, nec ſe, nec ſibi futura, aues cognouerint. Quod & de aliis animalibus quæ obſeruantur dictũ velim.

Plantas item ſuæ inſaniæ accõmodat, vt ait Plinius lib. 24. cap. 17. lapides, & metal-

la, vnde & λεκανομαντία, quæ fit peluibus aqua plenis, dæmone inuocato, quam magiam apud Persas seruari testatur Strabo in 15. Accedit κατοπτρομαντία, quæ per specula fiat, Et ἀξινομαντία, quæ per secures, & alia instrumenta ferrea, siue alligentur cribro, vnde κοσκινομαντία, siue clauis alligetur Psalmis, siue quis alio modo metallis abutatur.

Horrenda & illa, quæ manes & mortuos putat se infestare & euocare: dicta νεκυομαντία, quæ habet cum dæmonibus colloquia ad quam, vsus superstitiosus & vanissimus trãsfertur characterum, suffumigationum, ecclesiasticarũ orationum, & sceleſtissimus fit sacramentorum abusus. Et in summa, nihil sanctum est, quod magus non vsurpet & polluat. Atque idcirco in magia, frequẽs abusus, non dicam vsum, dæmoniorum, veneficiorum, collyriorum, vnguentorum, potionum, philtrorum, alligationũ, suspensionum, annulorum, imaginum, characterum, laminum, chartarum, certorum numerorũ, sonorum, sacrificiorum, purificationum, solitudinũ, sortium, ligationũ, fascinationum, cogitationum seu imaginationũ, animi excessus, incantationũ, adiurationũ, exorcismorum, consecrationum, deuotionum, ieiuniorum, somniorũ, orationum, ceremoniarum, & coniunctionũ cœlestium.

Et

Et hæc hactenus, De Angelis bonis & malis dixisse sufficiat. Superest, vt de ijs quę in classe substantiæ tradũtur, dicamus, quæ alius tomus Syntaxeon proximè Deo fauente excudendus, docebit, in quo, breui compendio, de mundo, de homine, & de eius omnibus artibus, & inuentis docebimus, & de reliquis quę in artis Speculo explicanda & percurrenda relinquuntur: nunc enim non datur otium, quia ad lectiones ordinarias prosequendas, Cadurcum reuocor.

***

FINIS.

Pierre Grégoire

PETRI
GREGORII
THOL.

ALVENSLEBEN
Bc
363



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-119201541511222-14991959X-14/fragment/page=0216



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-11920154151222-14991069X-14/fragment/page=021,7



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-119201541511222-14991959X-14/fragment/page=0218

SYNTAXES ARTIS MIRABILIS, IN LIBROS SEPTEM DIGESTAE.

Per quas de omni re proposita, multis & propè infinitis rationibus disputari aut tractari, omniúmque summaria cognitio haberi potest.

Authore Petro Gregorio Tholosano I. V. Doctore, & in academia Cadurcensi publico

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-119201541511222-14991959X-14/fragment/page=0219